

Aleksander Usowicz

De Aristotelis circa definitionem doctrina commentatorum sententiis illustrata

Collectanea Theologica 19/3, 273-317

1938

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DE ARISTOTELIS CIRCA DEFINITIONEM DOCTRINA COMMENTATORUM SENTENTIIS ILLUSTRATA.

PARS HISTORICA.

I.

De investigationis fontibus.

Hodierno in statu Aristotelis librorum sequentibus praecipue in locis definitio tractatur:

Top.: A 4, 101 b 19 ss.; 5, 101 b 39 ss.

Z 1—14, 139 a 24—151 b 24

H 2—3, 152 b 36—155 a 22

An. Post.: A 2, 72 a 14 ss.; 10, 76 a 35 ss.

B 3, 90 a 36—94 a 19; 13, 96 a 20—97 b 39

Metaph.: Z 5, 1030 b 14 ss.; 10—12, 1034 b 20—1038 a 35

Primarii igitur fontes nostrae investigationis sunt: Top., An post. et Metaph.

Top. chronologice spectata, iuxta communem Aristotelicorum sententiam, ut opus iuvenile et quidem ante aliis libris scriptum censetur¹⁾. Etenim tam doctrina, quam modus expositionis ut immatura apparent. Discussiones dialecticae, quae sophistarum et Platonis tempore magna in aestimatione fuerunt, totum fere Top. nucleum implent.

Post. Top. veniunt An. post. ubi syllogismus et necessitas profundioris analysis iam praesupponuntur. An. post. ante An.

¹⁾ Cf. Rose V., De Aristotelis librorum ordine et auctoritate, Berlin 1854, 119; Maier H., Die Syllogistik des Aristoteles, Tübingen 1896—1900, II, 2, 78; Solmsen F., Die Entwicklung der aristotelischen Logik und Rhetorik, Berlin 1929, 191; Ross W. D., Aristotle selections, Oxford 1927, XXIV.

pr. et quidem in eodem tempore ac *Metaph.* Z composita esse videntur.

In *Top.* praesertim Aristoteles de vitiis definitionis tractat et quidem „tam copiose et singillatim ut mole eorum, quae in genere, in differentia construenda accidere possint, plane obruaris“²⁾. Cum aliis Philosophi scriptis magna insit subtilitas, in *Top.* particularia ac nimis longaeua argumenta expositioni legum universalium antecedit. Iste *Top.* character non solum iuuenili operis elaboratione sed etiam fine disputativo explicatur. Aristoteles enim in *Top.* de definitione dialectice tractat. Nota illa disputativa ac dialectica praesertim in ultimo libri Z capitulo apparet. Cum quis, asserit Aristoteles, non habeat argumentum ad impugnandam totam definitionem, eo quod sit obscura, nec satis illam percipit, debet conari, ut partem impugnet; parte enim reiecta tota definitio corrui. Sicut in contionibus, ad abrogandam legem, solent contionantes proponere populo legem meliorem, ut sancita lege meliore abrogetur altera, sic ad evertendam definitionem potest proponi alia definitio; si enim haec sit melior, eo ipso definitio posita evertitur³⁾. Bene hoc disputativum stigma *Top.* codex latinus 16595 Parisiensis Bibliothecae Nationalis exprimit; in folio, ubi *Top.* exordiuntur quattuor pugnantem viri depicti sunt, quorum duo inter se luctantur, alii vero armis pugnant⁴⁾.

An. post. profundiore quam *Top.* doctrinam continent. Cum in *Top.* fere nihil de natura definitionis dicatur, An. post. longa sed acutissima disputatione illam celebrem quaestionem de indemonstrabilitate definitionis explanat. Pariter tantum in An. post. Aristoteles noëticam definitionis naturam fusiore calamo exponit. Nihil mirum proinde quod Ioannes Saresberiensis affirmat suo tempore doctrinam An. post. in desuetudinem abire: „Posteriorum vero analyticorum subtilis quidem scientia est et paucis ingeniis pervia: quod quidem ex causis pluribus evenire perspicuum est. Continet enim artem demonstrandi, quae praeter ceteris rationibus disserendi ardua est. Deinde hac utentium

²⁾ Kühn C., De notionis definitione, qualem Aristoteles constituerit, Halis 1844, 36.

³⁾ Z 14, 151 b 3 ss.

⁴⁾ Vol. 158r, 216v. Cf. Grabmann M., Die Geschichte der scholastischen Methode, I—II, Freiburg i Br. 1909—1911, II, 78—79.

raritate fere in desuetudinem abiit, eo quod demonstrationis usus vix apud solos mathematicos et in his fere apud geometras dumtaxat...“⁵⁾).

Liber *Metaph.* sextus, si agatur de relatione inter rem et conceptum definitorium, paene inexhaustum fontem constituit. Singula definitionis elementa nonnisi *Metaph.* assertis accurate explicari possunt; in aliis enim libris vel iam ut nota supponuntur vel non complete exposita sunt. Similiter substantiarum et accidentium definitio eiusque analogica notio perfecte solum in *Metaph.* in aliis vero scriptis per transennam consideratur. Pariter, quamvis de genere et differentia in definitione Aristoteles ubicumque loquatur, nullibi tam acute quam in *Metaph.* quaestionem hanc contemplet; praesertim unitas definitionis ex genere et differentia efformata et ad modum unitatis ontologicae rei concepta tantum in *Metaph.* ex professo a Philosopho disputatur. Propter hanc suam profunditatem *Metaph.* similiter ac *An. post.* tardius in mundo latino apparent; adhuc Abaelardus († 1141) notificat non dari *Metaph.* translationem⁶⁾.

II.

De commentatorum locis auxiliariis.

Super textum Aristotelis, ubi definitio exponitur, plures commentarii extant. Quaedam ex his „levissimi pretii et ita comparati sunt ut a nostris hominibus nullus fere fructus inde sperari possit“⁷⁾: at dantur inter illos etiam praeclaris dotibus eximii, proinde minime negligendi.

1. De graecis commentatoribus.

Saeculi Ptolomaeorum scientifica activitas, constructio bibliothecarum Alexandriae, Pergami, Rhodio et Athenis multum

⁵⁾ *Metalogicus* III, 5 ed. Policraticus, Lugduni Batav. 1630 cit. a Jourdain A., *Recherches critiques sur l'âge et l'origine des traductions latines d'Aristote*, Paris, 1843, 251.

⁶⁾ *Dialect.*, Cousin, *Oeuvr. inéd.*, Paris, 1836, 200; Cf. Prantl C., *Geschichte der Logik im Abendlande*, Leipzig 1927, II, 99.

⁷⁾ Buhle Th. J., *Aristotelis opera*, Biponti 1791, I, 277.

contulit ad philosophorum graecorum proinde et Aristotelis commentaria evolvenda. Revera iam saeculo secundo magni Aristotelis commentatores exoriuntur; inter quos ALEXANDER APHRODISIENSIS (c. 198—210) eminent.

Alexander Aphrodisiensis tempore Antonii Caracalla imperatoris Athenis vel Alexandriae philosophiam docuit. Alexander igitur coëvus Galeni fuit, quem, ut narratur, vidit et „ob capitis robur, animique in disceptando contentionem Muli caput appellavit; eum enim inter et Galenum complures habitae sunt disputationes“⁸⁾. Alexander inter alia opera etiam commentaria ad Top., An. post., ad Metaph. et An. pr. scripsit; dolendum tamen est commentarium ad An. post. periisse⁹⁾. Aphrodisiensis alios commentatores tam ingenio quam eruditionis copia superat. Expositio eius, ut patet ex Top., nimia particularium ac verborum investigatione, vitio multis commentatoribus communi, omnino caret. Quoad profunditatem autem solutionum tantum Simplicius cum illo aequari possit. Merito igitur posteriores Alexandrum simpliciter „interpretem“ nominant¹⁰⁾.

Diverso autem ac Alexander modo procedit THEMISTIUS (c. 330—390), qui novum interpretandi Aristotelem modum per paraphrases nempe proposuit. Themistius commentaria proprie dicta minime scribit sed tantum principalem Philosophi doctrinam pro eis, qui iam cognoscunt Aristotelica scripta abbreviatione facta anteponit¹¹⁾. Ex operibus Themistii paraphrasis An. post., proinde etiam textuum definitionem spectantium, conservatur.

Alexandrum Aphrodisiensem duo discipuli Ammonii¹²⁾ Simplicius et Philoponus imitantur. SIMPLICIUS (c. 1529) primo

⁸⁾ Casiri M., Bibliotheca arabico-hispana escurialensis, I—II, Matriti 1760—1770, I, 243 col. 1.

⁹⁾ Cf. Prantl, op. cit., I, 621; Casiri, op. c., I, col. 1—2: „Ex commentatoribus (An. post.) memoratur Themistius, qui librum hunc absolutis commentariis persecutus est, praeter Alexandrum, cuius commentarius non extat“.

¹⁰⁾ Cf. Bessarionis In calumniatorem Platonis libri IV ed. graecolatina L. Mohler, Paderbornae 1927, 167, 30: „Nihil enim tale ab eo scriptum legitur, qui librorum eius diligentissimus indagator fuit“.

¹¹⁾ Cf. Prantl, op. c., I, 639.

¹²⁾ Ammonii commentaria ad An. post. deperdita sunt. Cf. Prantl, op. c., I, 642.

Athenis, deinde post expulsionem philosophorum a Justiniano factam in Persia vixit¹³⁾. Quoad modum procedendi sequitur Alexandrum, quem optime cognoscit. In operibus Simplicii Aphrodisiensis saepissime laudatur; in solo v. g. commentario ad Phys. plus quam 600 citationes Alexandri habentur¹⁴⁾. Ex altera autem parte tantum Simplicius inter graecos commentatores cum Alexandro quoad valorem expositionis comparari potest. Quamvis Simplicii commentaria nec ad Top. nec ad An. post. nec ad Metaph. conserventur, nihilominus eius interpretatio Cat. etiam in expositione definitionis necessario consuli debet; Simplicius enim ut fidelis commentator dum de recto Philosophi sensu agitur omnia praeiudicia removet. Non obstante v. g. sua propensione ad neoplatonismum obiectiones Plotini contra Aristotelis categorias longo sermone impugnat¹⁵⁾.

Joannes GRAMMATICUS PHILOPONUS (c. 640) per maximam aetatis partem Alexandriae degit. Ut christianus acerbas lites cum philosophis gentilibus praesertim Simplicio habuit. Pariter cum pluribus placitis a doctrina catholica abhorreat in concilio Constantinopolitano tamquam haereticus condemnatur. Inter scripta Philoponi maioris momenti pro nostra quaestione est commentarium ad An. post., ubi multa ex Alexandri desumpta proponit; ex hac ratione interpretatio Philoponi non solum ut expositio propria sed etiam ut documentum historicum Aphrodisiensis solutionum aestimari debet¹⁶⁾.

Christianus pariter interpres graecus fuit EUSTRATIUS († 1120). Eustratius ut metropolita Nicaenus magnam activitatem dialecticam multis in disputationibus contra latinos ac nonnullos orientales theologos ostendit. Propter longum commentarium ad An. post. tum apud coëvos tum apud posteriores latinos commentatores tamquam auctoritas habetur¹⁷⁾. Quaedam ex solutionibus Eustratii, quae theoriam definitionis apud Aristotelem spectant, a maiore parte commentatorum admittuntur. Similiter ac Philo-

¹³⁾ Cf. Prantl, op. c., I, 643.

¹⁴⁾ Cf. Théry G., Autour du décret de 1210, II — Alexandre d'Aphrodise, Le Saulchoire-Kain, 1926, 13 s.

¹⁵⁾ Cf. Trendelenburg A., Geschichte der Kategorienlehre, Berlin, 1846, 242.

¹⁶⁾ Cf. Prantl, op. c., I, 643; Buhle, op. c., I, 303.

¹⁷⁾ Cf. Buhle, op. c., I, 303.

ponus etiam Eustratius expositiones Aphrodisiensis aliquando ante oculos adducit et sic fragmentariae restitutioni operum Alexandri iuvat.

Eustratius chronologice tamquam ultimus inter celebratos Aristotelis commentatores graecos censi potest. Saeculo enim XII interpretationes in lingua graeca evanescent; philosophia Aristotelica in mundum arabicum transit.

2. De commentatoribus arabicis.

Cognitio Aristotelis apud philosophos arabicos tempore familiae regalis Abbasidorum exordium sumit. Iam in principio saeculi IX in linguam arabicam libri Aristotelis, Themistii aliorumque commentatorum convertuntur¹⁸⁾. Post translationes vero interpretationes adveniunt. Cum clarissimis textuum Aristotelis interpretibus Alfarabi, Avicenna, et Averroes adnumerantur.

ALPHARABI († 930) interpretationis An. post. causa notabilem locum inter exegetas Aristotelis tenet. Insignis iste commentator generaliter ad litteram verba Philosophi vertendo aliquando explicationem tantum interpretum graecorum adducit¹⁹⁾. Duas iuxta Alfarabi partes logicae statuere oportet: unam, qua principia i. e. definitio et quidditas rei doceatur, alteram, qua complexa tradentur²⁰⁾. Alfarabi igitur statum quaestionis in sensu Aristotelico agnoscit iuxta quem ex incomplexis i. e. definitione ad complexa procedere oportet.

Inter philosophos graecos et arabicos Alfarabi primus expresse divisionem definitionis in formalem et materialem, ab Aristotele desumptam, proposuit²¹⁾.

Eadem via AVICENNA procedit, quem scriptores arabici „tertium“ Aristotelem vocant²²⁾. Avicenna (980—1037) de pro-

¹⁸⁾ Cf. Théry op. c. 18; Renan E., De philosophia peripatetica apud Syros, Parisiis 1852, 8 ss.

¹⁹⁾ Cf. Herbelot, Bibliothèque orientale, Paris 1697, 327; Index operum Alfarabii in Ms. 1379 Bibl. arab. escur. continetur. Cf. Casiri, op. c., I, 299 col. 1; cf. Prantl, op. c., II, 318.

²⁰⁾ Albertus Magnus, De praedicam., lib. I, cap. 5 (ed. Opp. Lugduni 1651, p. 3).

²¹⁾ Cf. Prantl, op. c., III, 107, 366, 410; Madkour I., L'Organon d'Aristote dans le monde arabe, Paris 1934, 127.

²²⁾ Cf. Casiri, op. c., I, 268 ss.

blemate definitionis disserit in opusculo, quod Al-Chifa intitulatur. Al-Chifa non est commentarium in sensu commentariorum Averrois vel s. Thomae, ubi textus ab explicacione propria separatur. Ibn-Sina indiscriminatim philosophiam Aristotelis, interpretum aliorum et propriam, raro tantum Aristotelem nominando, proponit²³). Propterea non sine ratione scholastici latini, excepto forsitan Rogero Bacone, opus istud ut exprimens puram doctrinam Avicennianam considerant²⁴). Attamen ex prologo, ubi fontes indicantur, clare apparet auctorem speciatim philosophiam Aristotelis respexisse. Ceterum ipse ordo expositionis manifestat Aristotelem esse principalem Avicennae magistrum. Ibn-sina v. g. similiter ac Philosophus definitionem in illa parte, quae demonstrationem respicit, in Top. et in Metaph. investigat²⁵).

Iuxta Avicennam obiectum logicae est conceptus et ratiocinium vel aliter definitio et syllogismus. Immo aliqui auctores contendunt Avicennam in duas partes logicam, in definitionem nempe et syllogismum, dividere²⁶).

Simili auctoritate ac Avicenna praesertim in medio aevo gaudet AVERROES. Averroes (1126—1198) Cordovensis medicus, extraordinaria admiratione erga Aristotelem ductus, ad aliquos Philosophi libros triplicem commentarium, parvum i. e. paraphrasim, medium et magnum composuit²⁷). Triplex huiusmodi commentarium ad Metaph., De cael., De an. et ad An. post., ubi definitionem fusiore modo illustrat, ad nos pervenit. Averroes in oppositione ad Avicennam fideliter, suo tamen modo Philosophum interpretando, procedit. Cum Avicenna v. g. sub influxu Stoicorum descriptionem tamquam definitionem agnoscit, Averroes sic dictam accidentalem definitionem eliminat²⁸).

²³) Cf. Madkour, op. c., 21.

²⁴) Cf. Madkour, op. c., 21; Bouyges M., Roger Bacon a-t-il lu des livres arabes?: Archives d'histoire doctrinale et littéraire du moyen âge, Paris 1930, V, 312.

²⁵) Cf. Madkour, op. c., 108—109.

²⁶) Cf. Vattier P., La logique du fils de Sina, Paris 1658; Carra de Vaux, Avicenne, Paris 1900, 16; Madkour, op. c., 55.

²⁷) Cf. Prantl, op. c., II, 380; Renan E., Averroes et l'averroïsme, Paris 1867, 54. Indicem opp. Averrois vide apud cod. 1379 Bibl. Arab. Escur.; Cf. Casiri, op. c., I, 299 col. 1.

²⁸) Cf. Madkour, op. c., 119.

Commentaria Averrois fere nullum influxum in posteriorem philosophiam Arabum e contra immensum in latinos Aristotelis interpretes exercuerunt²⁹⁾. Alexander Aphrodisiensis et Averroes a scholasticis iuxta expressionem Bessarionis ut „commentatores primarii“ censentur³⁰⁾.

In periodo postaverroistica philosophi arabici vel Organon Aristotelis nimia cum brevitate vel proprias potius quam Philosophi cogitationes exponendo explicant. Studium terminorum minime vero investigatio theoriae definitionis aristotelicae apud illos apparet³¹⁾. At commentaria magni nominis arabum in aliam scientificam regionem irruunt necnon studium Aristotelis librorum apud latinos causant.

3. De commentatoribus medii aevi latinis.

Ante saeculum XII imperfecta tantum cognitio Aristotelis operum in lingua latina minime commentariis favebat³²⁾. Ab anno vero 1128, in quo Jacobus Venetus „transtulit de graeco in latinum quosdam libros Aristotelis et commentatus est, sc. Topica, Analyticos Priores et Posteriores et Elenchos“, crescit apud scholasticos medii aevi illa immensa litteratura Aristotelica, quae copia saltem tum graecam tum Arabicam superat. Iam Adamus Parvipontanus (c. 1170) auctor „Artis dialecticae“ et tractatus „De utensilibus“ libere et exagerata subtilitate Aristotelis Analytica tangit³³⁾. Pariter coëvus Parvipontani Joannes Saresberiensis brevi sermone Top. et An. post. transcurrit (c. 1159)³⁴⁾.

²⁹⁾ Cf. Madkour, op. c., 10 et 243; Idem, La place d'al Farabi dans l'école philosophique musulmane, Paris, 1934, 2.

³⁰⁾ In calumniatorem Platonis, ed. c., 410.

³¹⁾ Cf. Madkour, op. c., 245.

³²⁾ Translationes An. post., Top., et Elench. soph., quae apud Migne (ML. 64, 639—766) Boëthio adscribuntur, hodie tamquam opera Jacobi Veneti reputantur. Cf. Grabmann, op. c., II, 44 et 67.

³³⁾ Cf. Joannes Saresberiensis, Metalogicus, IV, 3 M. L. 199, 917; II, 10 ML. 199, 868; Grabmann, op. c., II, 67.

³⁴⁾ Grabmann, op. c., II, 441. Saresberiensis magna cum aestimatione de Aristotele loquitur. Cf. Metaph. II, 16 ML. 199, 983; IV, 7 Ibid. 920 Policrat. VII, 6 ed. Webb II, 112; Enthetic. de dogm. philos. ML. 199, 983. Metalog. IV, 27 ML. 198, 932: „Palam est omnibus, usque ad miserationem imperfectio illorum, qui in solo Boëthio tempus et rem consumpserunt, ut

Ordinem autem celeberrimorum interpretum medii aevi Robertus Grosseteste Lincolniensis aperit.

LINCOLNIENSIS (1235—1253) „vir in latino et in graeco peritissimus“³⁵⁾ non solum fuit theologus, poeta medicus et mathematicus sed etiam valde acutus logicae Aristotelis interpret. Commentaria Lincolniensis super An. post. ad illos interpretationes pertinent, quae in permanenti usu ac studio apud posteriores fuerunt³⁶⁾. In expositione textus Grosseteste magis Themistium quam Arabes sequitur; in divisione tamen methodorum sciendi in definitionem et demonstrationem cum Averroee concordat³⁷⁾. Notandum est Lincolniensem primum animadvertisse Aristotelem aliquando „quod quid erat“ pro definitione formali sumere³⁸⁾. Differentia ergo inter „quod quid erat esse“ (τὸ τί ἦν εἶναι) et „quod quid est“ (τὸ τί ἐστίν), quam postea Trendelenburg philologicis et philosophicis principiis innixus demonstravit, iam apud Lincolniensem innuitur.

Lincolniensem tum genio quam fama s. Albertus Magnus et s. Thomas superant. S. ALBERTUS MAGNUS (1193—1280) „philosophus singularis“³⁹⁾ de definitione convenienter ad textum Aristotelis triplici in loco disserit: in quantum nempe definitio est tota essentia rei in prima philosophia, prout est medium demonstrationis in Analyticis, in quantum vero per communia et probabilia procedit in dialectica seu Topicis⁴⁰⁾. Eximius iste

fere nihil sciant. Nec tamen Aristotelem ubique plane, aut sensise aut dixisse, protestor, ut sacrosanctum sit, quidquid scripsit. Nam in pluribus obtinente ratione et auctoritate fidei, convincitur errasse... Verum in logica parem habuisse non legitur. Unde sic accipiendus est ut ad promovendos iuvenes ad gravioris philosophiae instituta doctor sit non morum sed disceptationum“.

³⁵⁾ Mathieu Paris, *Historia Maior Anglorum*, Londini 1784, 538; Jordan in, op. c., 59.

³⁶⁾ Cf. Baur L., *Die philosophischen Werke des Robert Grosseteste, Bischofs von Lincoln*, Münster i. W., 1912, Beiträge zur Geschichte der Philosophie, XI, 16.

³⁷⁾ Cf. Toletus, *Commentaria una cum quaestionibus in universam Aristotelis logicam*, Coloniae Agrippinae, 1589, 409.

³⁸⁾ In lib. 2 An. post. cap. 2 (cf. Zigliara in ed. Leon. opp. s. Thomaе, I, 337).

³⁹⁾ Bessario, op. c., 246, 36.

⁴⁰⁾ Top. lib. 6 tract. I cap. 1 (ed. c. p. 780).

commentator, quamvis in expositione theoriae definitionis Alfarabium imitetur⁴¹⁾, minime ut purus compilator aestimari potest. Commentaria s. Alberti ad Top., An. post et Metaph. ostendunt auctorem recte et clare materiam ordinare ac diiudicare. Cum igitur sapientis sit ordinare interpretationes Alberti immerito ut temerariae et tantum alienis bonis praeditae notentur⁴²⁾. Praeterea s. Alberti commentaria preciosum fontem opinionum largiri nemo negare potest. S. Albertus ubicumque declarato sensu textus ad commentatorum opiniones recurrit. Post expositam v. g. doctrinam Aristotelis circa relationem definitionis ad demonstrationem statim obiicit sibi, quid significare possit definitionem positione a demonstratione differe. Obiectionem solvit asserendo diversos deversimode quaestionem illam exponere. Sequuntur igitur opiniones, in quorum fine Alfarabii sententia eligitur ac rationibus defenditur⁴³⁾.

S. THOMAS DE AQUINO († 1274) ut princeps inter commentatores An. post. et Metaph. censendus est. Dum s. Albertus usus est versionibus arabicis et translatione „quam Boethianam vocant“⁴⁴⁾, s. Thomas nonnisi traductiones immediate a graeco derivatas ad suas expositiones adhibet⁴⁵⁾. Ex una igitur parte Doctor Angelicus recto fundamento nititur, utendo textu, qui ad valorem originalis appropinquat; ex altera autem parte proprium syntheseos genium affert. Nihil mirum proinde, quod tam acute in Aristotelis textus investigatione procedit.

Joannes Saresberiensis ait olim litteram Philosophi suaviter excutiendam esse „nec more captivorum acerbe torquenda, donec restituatur, quod non accipit“⁴⁶⁾. Haec prudens regula interpretandi, quam speciatim moderni interpretes negligunt,

⁴¹⁾ Cf. An. post. lib. 2, tract. 2, cap. 7 (ed. c.), p. 627: „Haec est directe de verbo ad verbum expositio commenti arabici quod Alfarabio inscribitur...“

⁴²⁾ Iniusta igitur est sententia a Prantl prolata op. c., III, 89: „Er ist nur Compilator, und Alles, durchweg Alles, war er schreibt ist fremdes Gut...“

⁴³⁾ An. post. lib. 2, tract. 2, cap. 12 (ed. c. p. 634).

⁴⁴⁾ Aventini Annalium Boiorum libri VII, Lipsiae 1710, lib. VII, cap. 9, p. 673. Cf. Jourdain, op. c., 42 et 37.

⁴⁵⁾ Cf. Jourdain, op. c., 40.

⁴⁶⁾ Metal. III, 1 ML. 199, 891

a s. Toma in tota sua extensione in praxim reducit. Dum s. Thomas textus Aristotelis interpretationem facit quaedam illusio habetur ipsum Philosophum fragmentarias notas suas fusiore calamo auditoribus explicare, minime vero alienum auctorem mentem illius commentari. Cum alii interpretores non raro verbis Philosophi suas cogitationes exprimunt, s. Thomas non nisi loca Aristotelis in linguam intelligibilem transferre intendit. Et haec est s. Thomae fidelitas scientifica maxima inter commentatorum proprietates.

Legenda est s. Thomae expositio An. post. B, ubi Aristoteles varios modos, quibus definitio demonstrari possit, reprobat. In hoc perdifficili loco, ubi iuxta s. Albertum Magnum et translationes et verba commentatorum valde sunt diversa⁴⁷⁾, s. Thomas ita procedit ut insimul claritatem, faciendo optimam divisionem textus, necnon totalem cum textu graeco consonantiam ostendit.

Merito igitur Ptolomaeus de Lucca scribit Urbano IV regnante s. Thomam Aristotelis philosophiam „quodam singulari et novo modo tradendi“ commentari⁴⁸⁾.

Insignis saeculi XIII interpretes est discipulus s. Thomae AEGIDIUS COLONNA († 1316). Ad principaliora Aegidii commentaria pertinent explicationes librorum De an. et An. post., in quibus notae characteristicae eius operum, brevitatis, claritas et non raro indoles nativa solutionum apparent. Generaliter Aegidius s. Thomam sequitur, quamvis in particularibus a sententiis Magistri recedit.

In definitione Aegidius in An. post. prout de doctrina demonstrationi adiuvante disserit. Etenim iuxta Aegidium sicut intellectus operationes simplices non sunt propter se, sed ad compositas ordinantur, ita et definitio, quae simplicium est, ad argumentationes ordinari debet. Ex hoc tamen non sequitur, secundum Aegidium, definitionem exacte in logica non explanari. Sicut enim physicus exacte formam et materiam, animam et reliqua, licet ut ordinentur ad corpus naturale, considerat, ita et logicus de definitione disserere debet⁴⁹⁾.

⁴⁷⁾ An. post. lib. 2, tact. 2, cap. 5 (ed. c. p. 623).

⁴⁸⁾ Hist. Ecccl. XXII, 14, Muratori, Sript. rer. ital. XI, col. 1153.

⁴⁹⁾ Cf. Toletus, op. c., 278.

S. Thomam et Aegidium Dominicus a Flandria et Caietan-
 nus sequitur. DOMINICUS A FLANDRIA († 1500) „propter
 ignorantiam scientiae libri Posteriorum, quae omnium aliarum
 ianua est et ancilla“⁵⁰⁾ amplum ad An. post. commentarium
 scripsit.

Flandrensis expositionem Aristotelis secundum lectiones s. Tho-
 mae dividit et argumenta theoriam definitionis spectantia eadem
 ac s. Thomas ponit; in fine tamen uniuscuiusque rationis fictas
 discipuli obiectiones, quae apud s. Thomam saltem in ista forma
 non inveniuntur, adiicit.

CAIETANUS (1469—1534) Aristotelem mediantibus s. Thomae
 commentariis interpretatur. Dum Dominicus a Flandria a theoriis
 praedecessorum, excepto Aegidio, abstrahere videtur, Caietanus
 fere omni in capitulo secundi libri An. post. diversa solutionum
 genera enumerat, impugnat vel cum s. Thomae expositione con-
 ciliat. Similiter ac Flandrensis seriem argumentorum, quae ad
 definitionem ordinantur, ex commentario s. Thomae desumit.

Commentaria Caietani ordinem interpretum medii aevi clau-
 dunt⁵¹⁾. Cum saeculo XV periodus renascentiae et aversio a scriptis
 Aristotelicis advenit.

4. De modernis commentatoribus.

Organon Aristotelis vehementissimos adversarios inter hu-
 manismi philosophos habet. Laurentius Valla (1407—1459), Lu-
 dovicus Vives (1492—1540) praesertim vero Petrus Ramus (1515—
 1572) logicam Aristotelis destruere conantur. Ramus iam 21 annum
 agens in publica thesi omnia, quae Aristotelis scripsit, mendacium
 esse defendebat. Ceterum tamquam adversarius operum Philosophi
 usque ad mortem remansit⁵²⁾.

⁵⁰⁾ Dominici de Flandria In Divi Thomae Aquinatis super libris Poster.
 Analytic. Aristotelis, Venetiis 1587, Praef. ad Fr. Ambrosium de Alemania,
 p. 1, col. 1.

⁵¹⁾ Ad hanc periodum pertinet etiam Joannes Jandunus (saec. XIV)
 Averroista, cuius expositio Metaph. alicuius momenti est. Cf. Renan, Aver-
 roes, 339.

⁵²⁾ Cf. De Wulf M., Histoire de la Philosophie médiévale, Louvain,
 1900, 399; Buhle, op. c., I, 342.

Ex altera tamen parte etiam philosophia Aristotelis suos defensores et egregios commentatores indicat. Prae ceteris Jacobus Zabarella floruit. JACOBUS ZABARELLA (1532—1589) Patavinus generaliter in logica Averroëm, in psychologia vero Alexandrum Aphrodisiensem imitatur⁵³). Zabarella igitur in expositione definitionis ad Averroistas pertinet, quibus praeter Iandunum Nyphus (1473—1532) et Zimara († 1532) adnumerantur. Patavinus praeter opuscula logica, ubi modo systematico doctrinam Aristotelis de definitione exponit, „copiose et diligenter enarravit, quae in preciosissimo posteriorum analyticorum volumine ab Aristotele docentur“⁵⁴).

Opera Zabarella iam prooemium ad non scholasticos circa Aristotelem tractatus constituunt. Philologica investigatio textus originalis, quem Zabarella saepe laudat, comparatio structurae grammaticalis verbi et phraseos graeci cum simili compositione linguae vernaculae, haec omnia in operibus Zabarella hodiernam Aristotelis investigationem linguisticam annuntiant⁵⁵).

Simili modo, quamvis adhuc scholastice, Toletus Aristotelem explicat. FRANCISCUS TOLETUS (1532—1589) insignem ad An. post interpretationem edidit. In expositione secundi libri auctor ordinarie commentatores graecos speciatim respicit, illos ubicumque laudat, eorumque solutiones aliis anteponit. En exempla: „Ad tertium dico cum Eustratio et Philopono cap. 2 huius 2 lib. quod definitio differt a definito: nam definitio: animal rationale: formam dicit secundum hos, homo vero compositum ex materia et forma, ut dictum est superius“⁵⁶).

„Littera autem sic est exponenda, secundum Themistium et Philoponum quamvis aliter s. Thomas exponat“⁵⁷).

„Ut Philoponus dicit, duas utilitates ex divisione ad has methodos definiendi proponit: praemittit tamen, non demonstrari definitionem per divisionem, ut dictum est prius“⁵⁸).

⁵³) Stöckl A., Geschichte der Philosophie des Mittelalters, III, Mainz 1866, 263.

⁵⁴) Iacobi Zabarella Patavini Opera logica, Basileae 1594 praef. Joannis Ludovici.

⁵⁵) Opp. ed. c., p. 1120, 1231, 1248, 1266, 1280, 1271 et passim.

⁵⁶) Toletus F., Commentaria una cum quaestionibus in universam Aristotelis logicam, Coloniae Agrippinae, 1589, 430.

⁵⁷) Ibid., 442.

⁵⁸) Ibid., 442.

Ad methodum s. Thomae Aristotelem interpretandi SYLVESTER MAURUS (1619—1687), unus ex successoribus Toleti in cathedra philosophiae Collegii Romani Societatis Jesu, revertit. Paraphrasis Aristotelis operum Sylv. Mauri compendium et quidem egregium omnium commentatorum Philosophi constituit.

Sylvester Maurus in expositione Top., An. post. et Metaph. „reiecta molesta interpretationum ac quaestionum mole“⁵⁹⁾ breviter ipsam Philosophi doctrinam proponit. In expositione sua essentialiter cum s. Thoma concordat; ubicumque tamen syllogismum in forma scholastica cum perlongis non raro praemissis ac multis repetitionibus introducit, quod indolem simplicem textus Aristotelis et s. Thomae interpretationis laedit.

Compendium Sylvestri Mauri, facta eminenti synthesi, commentariis scholasticorum finem ponit. In periodo philosophiae moderna quam sequendo scholastici manualia componunt, quae etsi ad mentem Aristotelis scripta, potius abbreviationes interpretum, quam expositiones ipsius Philosophi vocari possunt.

Manualia ista etiam theoriae definitionis in sensu Aristotelico aliquas consecrant paginas, ubi generaliter quid sit definitio, quotuplex et quales regulas servari debeat, ostendunt⁶⁰⁾. Dum antiqui commentatores ad An. post. recurrunt, profundiores quaestiones examinando, iuniores scholastici — manualium auctores — propter necessitatem breviori et faciliore modo rem illustrandi, quaestiones maioris momenti omnino negligunt; definitionem in facto non autem in fieri, praesertim ea quae in Top. exponuntur investigando, considerant. Hoc modo schola peripatetica per tria saecula procedit usque ad tempora, in quibus Aristoteles in scriptis Trendelenburgii iterum reviviscit.

ADOLPHUS TRENDELENBURG (1802—1872) in historia theoriae difinitionis tamquam auctor novae directionis aestimari debet. Articulus Trendelenburgii in Rhen. Mus.⁶¹⁾ circa „quod

⁵⁹⁾ Maurus S., Aristotelis opera omnia, Parisiis 1885, I praef.

⁶⁰⁾ Cf. Goudin A., Philosophia iuxta inconcussa tutissimaque Divi Thomae dogmata, I, 32. Fusiore modo de Aristotelis theoria definitionis San Sevesino tract. Cf. Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata. Logicae vol. tertium sophisticam et dialecticam complectens, Neapoli 1866, 432 ss.

⁶¹⁾ Rheinisches Museum für Philologie, Geschichte und griechische Philosophie, II (1828), 457 ss.

quid erat „esse“ ($\tauὸ \tauὶ ἦν εἶναι$) nec non duo opera: commentarius ad tractatum Aristotelis De an.⁶²⁾ atque studium ex historia categoriarum⁶³⁾ ut fundamentalia scripta pro definitionis grammatico-philosophica tractatione censi possunt. In memoratis opusculis Trendelenburg ita de „quod quid erat esse“ disputavit „ut rem prorsus absolvisse videatur“⁶⁴⁾. In expositione textus difficultates agnoscit minime tamen statim contendit Aristotelem esse cum seipso in contradictione in oppositione ad G. CALOGERO⁶⁵⁾, qui omni in loco oscillationes inter noëtica et dianoëtica definitionem agnoscit. In parte doctrinali interpretationis similiter ac C. PRANTL⁶⁶⁾ ontologicae problematum logicae formalis expositioni favet⁶⁷⁾.

Via a Trendelenburg ostensa auctores peculiarium opusculorum circa theoriam definitionis apud Aristotelem, C. Kühn et H. Rassow procedunt. RASSOW in expositione „quod quid erat esse“ ab eo „quod Trendelenburg praeclare declaravit in Museo Rhenano“ non deviat. Pariter KÜHN in generali definitionis expositione Trendelenburgium sequitur. At ab illo in differentia inter „quod quid erat esse“ et „quod quid est“ statuenda recedit. Dum iuxta Trendelenburg „quod quid erat esse“ definitionem formalem „quod quid est“ autem materialem designat, secundum Kühn „quod quid est“ essentiam proprie designat mente conceptam, ergo notionem, quae essentiae respondet h. e. definitionem. „Quod quid est“ igitur secundum Kühn non est „quod quid erat esse“ sed huius notionem exprimit⁶⁸⁾.

Speciale pariter opusculum circa definitionem S. MOSER composuit. Auctor tantum quattuor quaestiones tangit:

1. Doctrina Top. circa habitudinem specificae differentiae ad genus.

⁶²⁾ Aristotelis De anima libri tres, Ienae 1833, 192 ss.

⁶³⁾ Geschichte der Kategorienlehre, Berlin 1846, 38 ss.

⁶⁴⁾ Bonitz H., Aristotelis Methaphysica, Pars posterior, Bonnae 1849, 311.

⁶⁵⁾ I fondamenti della logica aristotelica, Firenze, 1927, 128 ss.

⁶⁶⁾ Geschichte der Logik im Abendlande, ed. c., I, 210 et 321.

⁶⁷⁾ Cf. Maier H., Die Syllogistik des Aristoteles, Tübingen 1896—1900, I, 2; Solmsen F., Die Entstehung der aristotelischen Logik und Rhetorik, Berlin 1929, 5.

⁶⁸⁾ De notionis definitione, qualem Aristoteles constituerit, Halis 1844, 7 s.

2. Specifica differentia et analogia entis.
3. Natura definitionis.
4. Unitas definitionis.

Ut patet ex hac divisione Moser nonnisi metaphysica definitionis problemata perscrutari intendit⁶⁹⁾.

Trendelenburgii exemplum non systematice Aristotelem interpretandi H. BONITZ⁷⁰⁾ et TH. WAITZ⁷¹⁾ imitantur. Bonitz et Waitz non componunt opera similia tractatibus a O. HAMELIN⁷²⁾ et W. D. ROSS⁷³⁾ scriptis sed singulas phrases vel etiam verba libri commentandi dilucidant. Bonitzii commentaria ad *Metaph.* praesertim ad difficultates sub aspectu philologico solvendas optimum fontem praebent. Expositio autem in Waitz *Organon* adhuc hodie ut classica haberi potest. Interpretatio *Top.* a Waitz proposita minoris est momenti; auctor enim ratione suae persuasionis de inferioritate huius libri in comparatione cum aliis tantum breviter de sexto libro disserit⁷⁴⁾.

Meritum Trendelenburgii et posteriorum Aristotelis commentatorum in hoc consistit, quod ad textum originalem, modo non solum philosophico sed etiam philologico eum commentando, refugiunt. Fatendum tamen est hodiernos philosophi exegetas saepissime nimis vocabulis adhaerere ac methodo exaggerata evolutionismum in philosophia aristotelica eiusque dependentiam a Platone exponere. Praeterea omnes hodierni Aristotelis commentatores nonscholastici veterum fragmenta non raro summi valoris et penitus ignorant et tenaciter ignorare intendunt. Consequenter quamvis multa nova ex attenta textus consideratione in lucem proferant, ex altera etiam parte plura, quae in scholasticorum expositione continentur, respectu eorum thesauro abscondito comparari possunt.

⁶⁹⁾ Zur Lehre von der Definition bei Aristoteles I Theil: *Organon* und *Metaphysik*, Innsbruck 1935.

⁷⁰⁾ *Observationes criticae in Aristotelis libros metaphysicos*, Berolini 1842; *Aristotelis Metaphysica*, Bonnae 1849; *Index aristot. in Aristoteles graece ex rec. I. Bekkeri*, Berolini 1831—1870.

⁷¹⁾ *Aristoteles Organon, I—II*, Lipsiae 1846.

⁷²⁾ *Le système d'Aristote*, Paris 1920, 123 ss.

⁷³⁾ *Aristotle*, London 1923.

⁷⁴⁾ *Op. c.*, II, 439: „Praeterea notandum est, quod, quum *Topica* non iis scripta sint qui veri studio ducti scientiam quaerent, sed iis qui disserendi artem vellent, brevitatis in dicendo, quae in aliis scriptis Aristotelis

PARS DOCTRINALIS.

I.

De definitionis ad demonstrationem habitudine.

In capite decimo An. post. B Aristoteles summatim doctrinam de relatione inter definitionem et demonstrationem proponit, contendendo triplicem esse definitionis ad demonstrationem habitudinem. Eadem fere ad verbum definitionis acceptio in An. post. A invenitur ⁷⁵⁾. Pariter vestigia huius doctrinae in De an. B 2 perspici possunt. Tribus his textibus innixi mentem Aristotelis explanare intendimus.

1. De An. post. B 10 doctrina.

A) *Textus.* Aristoteles duplicem definitionem distinguit: unam „quod quid est“ indicantem et alteram „quae propter quid“ ostendit. Definitio primi generis significat aliquid, at non demonstrat, posterior autem est quasi demonstratio „quod quid est“ positione differens a demonstratione ⁷⁶⁾. Ex exemplo res clarior evadit. Differt nempe dicere propter quid tonat et quid est tonitrus. Quando interrogatur propter quid tonat, responditur potest, quia extinguitur ignis in nubibus. At si quaeratur quid sit tonitrus, huiusmodi responsio datur: sonitus extincti ignis in nubibus ⁷⁷⁾.

Eadem autem oratio in primo et secundo casu ponitur. Quando enim dicimus propter hoc tonat, quia extinguitur ignis in nube, demonstratio continua habetur. Quando vero affirmatur tonitrum esse sonum extincti ignis in nubibus idem sed alio modo, per modum nempe definitionis, exhibetur. Si autem dicamus tonitrum esse sonum in nubibus nulla mentione facta de extinctione ignis, erit definitio tamquam demonstrationis conclusio ⁷⁸⁾.

excellit, ab his libris ita aliena est, ut nimiam verbositatem auctori exprorare possis“.

⁷⁵⁾ B 9, 75, b 31.

⁷⁶⁾ An. post. B 10, 93 b 38 ss.

⁷⁷⁾ Ibid. 94 a. 3 ss.

⁷⁸⁾ Ibid. 94 a. 6 s.

B) *Dubium circa textum.* Quaestio est cur Aristoteles in textu praedicto demonstrationem continuam vocat, cum potius definitio sic appellanda videatur; definitio enim maiorem partium coniunctionem quam demonstratio habet. Varii interpretes Philosophi vario modo dubium istud exponunt.

Eustratius duplicem huius difficultatis solutionem affert: Demonstratio dicitur continua, quia in prima figura ponitur, in qua syllogismus est affirmativus; affirmatio enim quaedam unio est, dum negatio tamquam quaedam divisio et interruptio habetur⁷⁹⁾.

Aristoteles demonstrationem continuam vocat, qualem in textu protulit, cum illam in propositiones minime dividit, sed tantum per allationem medii „quia extinguitur ignis in nube“ significavit⁸⁰⁾.

Prior Eustratii expositio insufficiens videtur. Temerarium enim est quare in prima figura sit maior continuitas quam in reliquis saltem in modis affirmativis tertiae figurae. E contra posterior explicatio simplex est et textum dilucide explicare videtur. Nihil mirum proinde, quod illam maxima pars commentatorum sequitur⁸¹⁾.

Iuxta s. Albertum Magnum definitio revera est continua non demonstratio; Aristoteles tamen voluit demonstrationem continuam vocare ad denotandum eas reipsa idem esse⁸²⁾.

Interpretatio ista minus recta videtur, cum ex textu appareat Aristotelem demonstrationem continuam nominare ad illius differentiam cum demonstratione significandam.

Zabarella hanc rem considerans aliam expositionem invenit. Iuxta eum talis est natura continui, ut tum partes habeat in quas dividi potest, tum coniunctas et in communi termino copulatas; una vel altera ex his conditionibus sublata natura continuitatis destruitur. Continuum enim, nisi partes extra partes habeat, individuum quoddam veluti punctum esset; si vero partes dividantur non continuum sed discretum oritur.

Demonstratio secundum Zabarellam ad definitionem sicut inea ad punctum refertur; demonstratio enim distinctas habet

⁷⁹⁾ An. post. 131, 6 ss. (Hayduck).

⁸⁰⁾ Ibid. 131, 11 s.

⁸¹⁾ Cf. Zabarella, An. post. lib. 2 context. 45 (ed. c. p. 1138).

⁸²⁾ An. post., lib. 2, tract. 2, cap. 12 (ed. c. p. 635).

propositiones in quas dividi potest, coniunctas tamen in communi termino i. e. in medio. Ideo congrue demonstratio continua vocatur prout est extensa cum copulatione partium. In demonstratione enim a maiore per minorem ad conclusionem fit discursus. Definitio vero est simplex quaedam essentiae expressio individua, proinde similior puncto quam lineae⁸³).

Explicatio ista solido fundamento i. e. netica definitionis natura innitur. Consequenter optime Zabarella distinctionem inter definitionem et demonstrationem statuit. Ista tamen explanatio ad difficultatem solvendam superflua esse videtur, posterior enim Eustratii explicatio sufficientem expositionem praebet.

Examinato textu ad principalem nunc quaestionem pergimus illustrando comparisonem inter definitionem et demonstrationem ab Aristotele statutam.

2. De Sylvestri Mauri solutione.

Secundum S. Maurum duplex est definitio quid rei: una explicans quid res sit, altera exponens propter quid res sit. Definitio dicens quid res sit non continet demonstrationem rei, at definitio explicans propter quid res sit continet demonstrationem, immo est demonstratio positione differens⁸⁴).

Res exemplis explicatur. Quia natura eclipsis consistit in hoc, ut non sit qualiscumque privatio luminis in luna sed ut privatio causata ab interpositione terrae, definitur eclipsis: privatio luminis in luna interposita terra. Pariter, quia natura tonitrus est ut sit non qualiscumque sonus in nube sed sonus causatus ab extinctione ignis, definitur tonitrus: sonus ignis extincti in nube. Tam prima quam secunda definitio omnia elementa demonstrationis continet et proinde a demonstratione solum differt, quod elementa ista non sunt collocata et disposita in figura et modo syllogistico. Utraque igitur definitio est demonstratio positione differens. Definitio enim eclipsis continet maius extremum, quod est privari lumine, minus extremum, quod est luna et medium seu causam, cur luna privatur lumine, quod est interpositio terrae. Similiter definitio tonitrus

⁸³) An. post. lib. 2, context. 45 (ed. c. p. 1139).

⁸⁴) Op. c. I, 363 s.

continet maius extremum demonstrationis, quod est sonus, minus extremum, quod est nubes et medium terminum, quod est extinctio ignis ⁸⁵).

Praedictis suppositis iam inferre licet, quomodo definitio ad demonstrationem se habeat. Definitio nempe eorum, quae sunt propter seipsa, est principium indemonstrabile. Definitio v. g. hominis „animal rationale“ est principium demonstratio-num, in quantum ex illa de homine proprietates demonstrantur. Definitio eorum, quae sunt propter causam, exprimens talem causam, est demonstratio sola positione differens. Definitio denique eorum, quae sunt id, quod sunt propter causam, sed non exprimens talem causam, est conclusio demonstrationis.

Eadem solutio applicatione quattuor causarum exponitur. Prima causarum est finis, qui movet agentem, secunda est efficiens, quae assimilat sibi passum in forma, tertia est forma, in ordine ad quam disponitur materia, quarta est materia. Definitio, quae desumitur a fine est ratio per quam notificantur aliae definitiones, ideoque est principium ad illas ostendendas. Aliae definitiones sunt conclusiones demonstrabiles ex definitione per finem. Definitio vero per finem simul et alias causas est demonstratio positione differens; in quantum enim est per causas alias a finali est conclusio demonstrabilis, prout vero per causam finalem exponitur principium et medium demonstrationis ⁸⁶).

Exemplo res illustratur. Domus potest per causam finalem definiri: cooperimentum, defendens nos a pluvia, frigore et calore; per causam vero materialem et formalem: cooperimentum constitutum ex lapidibus, caemento et lignis debito modo ordinatis. Ratio cur domus sit cooperimentum ex tali materia est, quia alioquin non defenderet nos a pluviis, frigore et calore; eadem ratio pro determinata materiae dispositione allegare potest. Ratio igitur materiae et formae ex fine desumitur. Ex definitione igitur per causam finalem tamquam ex principio definitio per causam materialem et formalem notificatur ⁸⁷).

⁸⁵) Op. c. I, 364.

⁸⁶) Op. c. I, 289.

⁸⁷) Op. c. I, 289—290. Cf. S. Thomas, An. post. lib. 1, lec. 8 n. 5 Toletus, op. c., 432.

Definitio ergo per causam finalem est principium, per causam materialem et formalem conclusio demonstrationis. Potest tamen definitio domus complectens omnes praedictas causas efformari: domus est cooperimentum, constans ex lapidibus, caemento et lignis sic dispositis ad defendendum nos a pluviis, frigore et calore. Huiusmodi definitio est demonstratio positione differens, utpote continens principium et conclusionem demonstrationis.

Expositio S. Mauri sequenti schemate amplecti potest:

| | | | |
|-----------|---|-----------------------------|---|
| Definitio | { | Principium demonstrationis | Definitio eorum, quae sunt propter seipsa. |
| | | Demonstratio posit. differ. | Definitio eorum, quae sunt propter causam, exprimens talem causam. |
| | | Conclusio demonstrationis | Definitio eorum, quae sunt propter causam sed non exprimens talem causam. |

Alio modo in expositione textus Aristotelis Zabarella procedit⁸⁸⁾.

3. De Zabarellae solutione.

Iuxta Zabarellam quattuor sunt definitiones, quae cum demonstratione comparari possunt. Una est definitio subiecti in scientia, quae est principium indemonstrabile, alia est perfecta definitio proprietatis, quae est demonstratio positione differens. Sunt demum aliae duae imperfectae definitiones ipsius proprietatis, in quas haec perfecta dividitur: una per solam causam tradita, quae est medium demonstrationis, altera per genus et subiectum, quae est conclusio demonstrationis. Aristoteles sub principio demonstrationis praesertim definitionem subiecti intelligit, nam inter principia immediata subiectum, quod in sua scientia demonstrari nequit, enumerat⁸⁹⁾. At ad hoc membrum etiam causalis definitio proprietatis reduci debet⁹⁰⁾.

Secundum Zabarellam omnia accidentia similiter ac substantiae per formam definiendae sunt. Haec est tamen diffe-

⁸⁸⁾ Cf. Mansel H. L., *Artis logicae rudimenta from the text of Aldrich*, Oxford 1856. Note C: On definition, 18, 4 s.

⁸⁹⁾ Cf. *An. post.* A 29.

⁹⁰⁾ *An. post.* lib. 2, context. 46 (ed. c. p. 1143).

rentia inter definitionem substantiarum et accidentium, quod in accidentibus genus formae locum tenet, proprium autem subiectum est loco materiae ac in definitione pro differentia sumitur. In definitione tonitrus v. g. „sonus in nube“ sonus quidem genus et forma est, „nubes“ autem est subiecta materia, quae tamquam differentia, separans tonitrum ab aliis sonis, adhibetur⁹¹).

Definitio ex materia et forma constans dicitur essentialis, quia tota accidentis essentia per eam exprimitur; minime tamen perfecta vocari potest, quia essentia accidentis ab externa causa diversa ab ipsa essentia pendet. Ad definitionem accidentis perfectam reddendam tertia particula praeter formam et materiam, nempe causa inhaerentiae illius formae in hoc subiecto, requiritur. Perfecta igitur definitio tonitrus ita construi debet: sonus in nube propter extinctionem ignis⁹²).

Haec perfecta accidentis definitio apud Aristotelem sola positione terminorum a demonstratione discrepat. Etenim iisdem terminis demonstratio accidentis et eiusdem definitio constituitur. Genus accidentis est in demonstratione maius, subiectum minus extremum, causa denique medius terminus⁹³). Ista perfecta accidentis definitio in duas imperfectas dividitur, quarum altera est principium demonstrationis, altera vero conclusio. Sicut enim utraque simul sumpta integram demonstrationem facit, quia simul conclusionem et principium continet, ita si in duas dividatur, altera erit principium demonstrationis, altera vero conclusio⁹⁴). Haec definitio, quae traditur per solam causam est principium demonstrationis: quae quidem improprie dicitur definitio, cum dicat potius propter quid quam quid. Ideo vocatur causalis et ad demonstrationem non alia ratione quam ut eius principium refertur. Alia perfectae definitionis pars, quae formam et materiam sine causa continet, illa est, quae demonstrationis conclusio vocatur et ab Aristotele nominalis dicitur; est conclusio demonstrationis, quia cum causam extra se habeat demonstrari potest⁹⁵).

⁹⁰) An. post. lib. 2, context. 46 (ed. c. p. 1143).

⁹¹) Ibid. p. 306.

⁹²) Ibid. p. 306—307.

⁹³) De method. lib. 4, cap. 14 (ed. c. p. 307).

⁹⁴) An. post. lib. 2, context. 46 (ed. c. p. 1143).

⁹⁵) De method. lib. 4, cap. (ed. c. p. 307—308).

Tota expositio Zabarellae ita schematice concludi potest:

| | | | |
|-----------|---|----------------------------------|--|
| Definitio | { | Principium demonstrationis | Definitio subiecti in scientia. |
| | | Demonstratio positione differens | Perfecta definitio proprietatis. Imperfecta definitio proprietatis. |

S. Maurus igitur et Zabarella, quamvis in particularibus differant, concorditer ponunt definitionem prout est principium demonstrationis nihil aliud esse nisi definitionem subiectorum in scientiis. Similiter quoad definitionem positione a demonstratione differentem consentiunt asserendo hanc esse, quae causam rei exprimit in oppositione ad illam, quae causam omittit et conclusio demonstrationis nominatur.

Generalem hanc solutionem, abstractis quibusdam divergentiis, quae in particularium expositione continentur, menti Aristotelis convenire ex analysi textus praecedentis et De an. apparebit.

4. De mente Aristotelis in quaestione proposita.

A) Explicatio An. post. B 10. Definitio iuxta Philosophum non potest esse demonstratio proprie dicta; nihil enim concludit solummodo aliquid significat⁹⁶). Ubi discursus incipit definitionis natura perit⁹⁷). Proinde Aristoteles ante comparisonem definitionis cum demonstratione asserit definitionem, quae demonstrationi adsimilatur, esse tantum quasi demonstrationem non vero demonstrationem in sensu stricto⁹⁸).

Quia tamen res ex eadem causa fit et ex eadem tamquam termino medio cognoscitur, praecipit Aristoteles, ut vera definitio terminum medium tamquam causam contineat⁹⁹). Definitio autem

⁹⁶) Cf. Kühn, op. c., 20 s.; Pazmany P., *Dialectica* quam e codice manuscripto bibliothecae universitatis budapestinensis rec. S. Bognar, Budapestini 1894, 502.

⁹⁷) Cf. Zabarella, An. post. lib. 2, context. 16 (ed. c. p. 1072 s.) Samuelis de Lublino *In universam Aristotelis logicam quaestiones scholasticae*, Coloniae Agrippinae, 1620, 745 s.

⁹⁸) An. post. B, 10, 94 a. 2 s.

⁹⁹) Cf. Trendelenburg, *Elementa logicae Aristotelicae*, Berolini 1878, 142.


rei, qua eius causa explicatur, quasi demonstrat quid res sit et nonnisi positione a demonstratione differt. Etenim qui demonstrat cogit A (i. e. tonitrum) inesse C (i. e. nubi) propter B (i. e. extinctionem ignis); dicit ergo esse A propter B. Qui definit idem dicit, licet alio modo; quaerit quid sit tonitrus et respondet: ignis extinctio in nube. Quare qui definit, is conclusionem, quam cogit, qui definitionem ex demonstratione elicit, non demonstratam pronunciat¹⁰⁰). Si autem causa definitionis non addatur definitio nihil aliud erit nisi mera conclusio termino medio omisso. In tali enim definitione, quod summum est siletur, nempe unde res sit et unde cognoscatur¹⁰¹).

Aristoteles igitur causam quam definitioni inesse vult termino medio comparat. Terminus enim medius efficit ut externa, quae per se distant, coëant. Ita cum tonitrus aëris sonitus definiatur, conclusio est, quo extrema quidem (τὰ ἄκρα) sonitus et aër coniunguntur, medium vero (τὸ μέσον) i. e. causa, qua sonitus in aërem incidit, negligitur.

Huius explicationis eminens confirmatio in De an. invenitur.

B) Explicatio De an. B. 2. Definitio iuxta Aristotelem, qualis esse debet ita syllogismo similis est, ut causam tamquam terminum medium contineat; definitio vero qualis esse solet (ὄν) nihil aliud est quam conclusio termino medio omisso¹⁰²).

Res exemplo illustratur. Mathematici modum inveniendi quadratum aequale rectangulo altera parte longiori sequenti figura demonstrant:



¹⁰⁰) Cf. Waitz, II, 398.

¹⁰¹) Cf. Rasso, op. c., 26 s. Kühn, op. c., 20; Waitz, II, 398; Trendelenburg, Elementa 142.

¹⁰²) De an. B 2, 413 a. 13 ss.

Rectangulum altera parte longius duobus lateribus, quorum alterum est maius, alterum minus, continetur. Rectangulum A v. g. latere AB maiore, supponamus novem palmorum, et latere AC minore i. e. quattuor palmorum comprehenditur. Ad ostendendum quadratum aequale rectangulo A debet inveniri proportionalis media inter latus AB maius et latus AC minus, quae linea proportionalis media sc. BF linea sex palmorum erit. Proportionalis enim media inter maiorem et minorem est illa, quae eadem proportione excedit minorem, qua exceditur a maiore. Linea autem sex palmorum eadem proportione excedit lineam minorem quattuor palmorum, qua a linea maiori novem palmorum exceditur: sicut enim linea sex palmorum exceditur a linea novem palmorum per tertiam partem, ita lineam quattuor palmorum eadem proportione excedit. Linea ergo sex palmorum est media inter latus novem palmorum et latus quattuor palmorum ¹⁰³).

Quadratum igitur E constitutum per lineam proportionalem mediam, per lineam nempe sex palmorum, est aequale rectangulo, ut in figura describitur et in numeris invenitur. Nam rectangulum constitutum ex novem et quattuor i. e. ex novem multiplicatis per quattuor 36 constituit. Quadratum vero constructum ex sex multiplicatis per sex, pariter 36 facit.

His positis tetragonismus seu quadratura rectanguli altera parte longioris dupliciter definiri potest. Primo ut est inventio quadrati aequalis rectangulo oblongo, secundo prout est inventio mediae proportionalis inter latus maius et minus rectanguli ¹⁰⁴). Si quadratura igitur nihil aliud quam quadratum cum rectangulo laterum diversorum exequari definiatur, conclusio profertur: an fieri enim possit quadratura et unde fiat minime ex hac definitione apparet. Conclusio illa causa tamquam termino medio implicite utitur, causam vero ipsam sileat, ita ut „quod concludendo efficitur nec tamen quomodo efficitur, definitione comprehendatur“ ¹⁰⁵).

¹⁰³) Cf. S. Maurus, op., IV 38; Simplicius De an. 230, 29 ss. (Hayduck) Philoponus, De an. 97, 6; Hicks R. D., Aristotle De anima, Cambridge 1907, 322 s.; Wallace E., Aristotle's Psychology, Cambridge 1882, 230; Rodier C., Aristotele Traité de l'âme, Paris 1900, II, 194. Cf. Euclidis Elementa. VI, 13, 17.

¹⁰⁴) Cf. Trendelenburg, De an., ed. c. 557.

¹⁰⁵) Trendelenburg, Elementa, ed. c. 142.

Si e contra in quadratura exponenda addatur diversas esse figuras aequatas, media proportionali interposita, iam conclusio in syllogismi similitudinem abiit: causa enim addita est tamquam terminus medius¹⁰⁶). Etenim si inter duas lineas, quae rectangulum constituent, media proportionalis sive numero invenitur sive figura construitur, iam quadratura adest¹⁰⁷). Cum igitur ad syllogismi formam praedicta definitio revocetur causam eandem esse atque terminum medium apparebit: Externi proportionis numeri inter se multiplicati quadrato mediae proportionalis sunt aequales.

Atqui rectangulum constat ex externis proportionis numeris inter se multiplicatis.

Ergo rectangulum aequat quadratum mediae proportionalis¹⁰⁸). Definitio igitur secundum Aristotelem sequenti modo cum demonstratione comparari potest:

| | | | |
|-----------|---|----------------------------|---|
| Definitio | { | Principium demonstrationis | Definitio subiecti in quacumque demonstratione. |
| | | Demonstratio posit. diff. | Definitio perfecta, quae causam includit. |
| | | Conclusio demonstrationis | Definitio imperfecta, quae causam omittit. |

II.

De numero et valore methodorum definitionis.

Caput 13 A. post. B, ubi Aristoteles methodos ad definitionem venandam proponit diversimode ab interpretibus examinatur. Commentatores praesertim quoad numerum et valorem methodorum dissentiunt.

1. De unica methodo adhibenda.

Secundum Zabarellam Aristoteles in An. post. de unica tantum methodo disserit. Philosophus, iuxta Patavinum, in tra-

¹⁰⁶) Kühn, op. c., 21; Trendelenburg, Elementa, ed. c. 143; De an., 557.

¹⁰⁷) Cf. S. Thomas, De an. lib. 2, lect. 3 n. 251.

¹⁰⁸) Cf. Trendelenburg, Elementa, 143.

denda via ad investigandam definitionem sequenti ordine procedit. Primo declarat quomodo via compositiva ea, quae in quid praedicantur venari debemus¹⁰⁹), deinde ad viam divisivam transiens docet quomodo haec utilis, vel inutilis sit¹¹⁰); demum ad compositivam considerandam revertit¹¹¹).

Iuxta Zabarellam consilium Aristotelis in capite 13 An. post. B est de illa methodo agere per quam definitio notificetur. Huiusmodi autem non est divisio sed compositio, quae via resolutiva nominatur. Propterea Aristoteles hic de divisione secundo i. e. non tamquam de methodo sed tamquam de ministra methodi resolutivae loquitur¹¹²).

A divisionis igitur consideratione Philosophus tractationem incipere non debuit, cum non sit methodus, nec primarie hic consideratur. At nec ad ultimum locum divisionem reicere tutum erat, quoniam eius utilitate declarata credere aliquis possit eam vel resolutione potius esse, vel saltem posse methodum appellari. Aristoteles ergo voluit sermonem de divisione cum tractatu de via resolutiva commiscere ut de unica methodo non de duabus investigatio facta videatur. „Unica enim methodus traditur ab initio ad finem, quae est methodus resolutiva“¹¹³) ad quam etiam disputatio de divisione, ut ad eam conferente, pertinet. Ipsa vero tractatio de via resolutiva in duas principales partes secunda videbatur, in quarum una haec methodus simpliciter exponeretur, in altera autem praecepta quaedam ad rectam eius usum pertinentia traderentur.

Aristoteles viam divisivam minime reprobatur tamquam ad venationem definitionis omnino inutilem, divisio enim multum iuvat ad partes definitionis recte disponendas, quas forsitan absque divisione inordinate pronuntiarem. Cum tamen sola via ascendiva illatione gaudet, in quantum probat ignotum ex noto, sola exclusa divisione, methodus vocari potest¹¹⁴).

¹⁰⁹) Ad 96 a 24—96 b 25 context. 70 (ed. c. p. 1192).

¹¹⁰) Ad 96 b 25 ss. Ibid.

¹¹¹) Ad 97 b 7 ss. Ibid.

¹¹²) An. post. context. 80 (ed. c. p. 1213).

¹¹³) An. post. context. 80 (ed. c. p. 1214).

¹¹⁴) Context. 73 (ed. c. p. 1200). Cf. De method. lib. 4, cap. 6—10 (ed. c. p. 233 ss.).

2. De solutione, quae duplicem methodum assignat.

Magna pars commentatorum duas methodos in textu praedicto An. post. deprehendunt. Et haec est sententia s. Thomae, qui duplicem methodum ad investiganda ea, quae sunt in definitione ponenda, statuit. Prima methodus maxime conveniens in divisione generis consistit, secunda per similia et dissimilia procedit ¹¹⁵).

A) Modus divisionis in definitione paranda. Cum totum aliquod definiatur conveniens est, ut primo genus in atoma specie prima i. e. in partes illius generis, ut numerum in binarium et ternarium dividamus. Hac partitione facta definitiones eorum, quae sub tali genere continentur, accipere debemus ¹¹⁶). Deinde quando iam scimus mediante generis in species divisione quid sit genus, utrum nempe sit in tali categoria qualitatis vel quantitatis, oportet ad venandum differentias proprias passiones (ῥῆτα παράη) considerare, quae formas specierum manifestant.

Id autem per aliqua communia facimus cum omnium definitionum principium sit id quod simplex est i. e. genus commune; ex simplicibus enim, an illa speciebus conveniant vel ab his discrepent, cognoscimus ¹¹⁷).

In divisione inordinatio et diminutio vitari debent. a) Multum enim differt quid prius et quid posterius in partibus definitionis collocatur. Minime est indifferens v. g. hominem esse animal mansuetum bipedem, vel bipedem mansuetum dicere. Cum enim id quod definitur debet esse unum constitutum ex genere et differentia huius generis divisiva, si dicatur animal mansuetum... bipes, significat, genus esse animal mansuetum ideoque mansuetum esse differentiam constitutivam generis, bipedem vero differentiam divisivam et consequenter constitutivam unius speciei, quod est homo. E converso autem erit si hominem esse animal bipedem mansuetum dicatur ¹¹⁸).

b) In divisione generis etiam diminutio vitari debet. Proinde cum omnes differentiae superiorum generum ad definitionem alicuius speciei pertineant, ad vitandam diminutionem cavere oportet, ut nulla huiusmodi differentiarum praetermittatur. Praetermittitur

¹¹⁵) An. pos. lib. 2, lec. 14—16.

¹¹⁶) Ad An. post. B 13, 96 b, 15 ss.

¹¹⁷) Ad An. post. 96 b, 30 ss.

¹¹⁸) Ad 96 b, 35 ss.

autem differentia talis si aliquis assumpto genere supremo differentiam divisivam non ipsius generis supremi sed alicuius superioris accipiat. Si quis v. g. dividat animal in id quod habet alas continuas ut vespertiones et in alas divisas in plures pennas ut corvi, statim apparebit non omne animal sub hac divisione comprehendi. In illa enim divisione generis immediatae differentiae omittuntur: prima enim et immediata differentia animalis ex hoc, quod omne animal cadit sub divisione attenditur¹¹⁹⁾.

In definitione per modum divisionis paranda tres condiciones observari debent: primo ut praedicata in „quod quid est“ accipiantur, secundo ut respiciendo quid sit primum et quid secundum ordinantur, tertio ut omnia praedicata sumantur nihilque eorum praetermittatur. *a)* Prima conditio observabitur examinando per regulas de accidente in Top. utrum talia praedicata convenient subiecto, per regulas vero generis utrum in „quod quid est“ dicantur¹²⁰⁾.

b) Recta ordinatio partium fiet si primum praedicatum primo loco positum fuerit; primo autem loco debemus poni illud praedicatum, quod est prius ceteris, ita ut ex omnibus sequatur, cum cetera minime ex illo sequantur: hoc enim est commune et prius. Secundo loco debemus poni illud praedicatum quod primo excepto est aliorum amplissimum; tertio id quod ceteris sequentibus commune est et ita deinceps. Praedicata v. g. ista: animal gressibile bipes ita ordinari debent, ut primo loco animal, secundo gressibile, tertio bipes ponatur. Etenim ex eo quod aliquid sit animal non sequitur quod sit gressibile vel bipes; at ex eo quod aliquid sit gressibile vel bipes, quod sit animal intelligitur¹²¹⁾.

c) Tertia conditio observabitur, si omnia praedicata, dividendo adaequate genus usque ad ultimas species sumamus. Habito v. g. quod omne animal est hoc vel illud, supponamus rationale vel irrationale... accipiamus hoc i. e. rationale. Deinde iterum hoc totum i. e. rationale... per differentias proprias dividimus. Quando vero iam ultimam differentiam attingimus non est ultra per alias differentias specificas dividendum. Statim ultima differentia addita hoc cuius definitio quaeritur in nullo a toto differt i. e. a ratione omnibus partibus acceptis efformata¹²²⁾.

¹¹⁹⁾ Ad 96 b 35 ss.

¹²⁰⁾ Ad An. post. 97 a 26 ss.

¹²¹⁾ Ad 97 a 28 ss.

¹²²⁾ Ad 97 a 28. Cf. S. Maurus, op. c., I, 377.

B) De modo investigandi definitionem per similia et dissimilia. Proposita et explicata via venandi definitionem per descensum, incipiendo a genere universaliore ac illud dividendo, describit Aristoteles aliam methodum nempe per ascensum, incipiendo ab inferioribus et ascendendo ad superius, cuius definitio quaeritur.

Si aliquis definitionem alicuius rei investigat, quae sunt similia illi et etiam ad ea, quae differunt ab illa, attendere debet. Primo circa similia considerare oportet quid idem in omnibus inveniatur; quid v. g. idem in omnibus hominibus perspicere possit. Deinde idem considerandum est in aliis quae conveniunt cum primis in eodem genere, sunt sibi invicem specie, differunt vero specie ab illis quae primo accipiebantur.

Oportet v. g. investigare quid sit commune aequo nempe eius hincibilitatem et quid sit commune in hominibus... h. e. rationabilitatem cum autem quid sit idem in omnibus his i. e. hominibus... et quid sit idem in omnibus aliis i. e. aequis accipiatur iterum investigandum est, an aliquid sit idem in istis duobus acceptis: rationale et hincibilitas¹²³).

Et ita procedendum est usquedum ad aliquam rationem communem quae erit definitio rei perveniatur. Si vere talis consideratio ad rationes diversas minime vero communes conducat manifestum est, illud cuius definitio quaeritur, non erit secundum naturam, sed plura et ita unam definitionem habere nequeat¹²⁴).

Methodus praecedens mediante exemplo manifestatur. Ad venandam definitionem magnanimitatis homines, qui dicti sunt magnanimi examinandi sunt, ut quid unum habeant, in quantum magnanimi sunt, sciamus. Isti in duas classes dividuntur. In prima classe Alcibiades, Achilles et Ajax continentur: hi omnes aliquid commune habent, quod nempe iniurias sustinere non potuerunt. Alcibiades enim non sustinens iniuriam bellum contra suos intulit, Ajax autem seipsum interfecit. In secunda classe sunt Socrates et Lysander; hi magnanimi dicti sunt quia aequo animo tam in adversis quam in prosperis se habuerunt.

Oportet igitur accipere indifferentiam relate ad prosperitatem et improspertatem ac non tollerare iniurias et utrum aliquid commune in illis inveniatur videre: in hoc enim communi ratio

¹²³) Ad An. post. 97 b 7 ss.

¹²⁴) Cf. Averroes, An. post. lib. 2, cap. 2 (ed. c. p. 226).

magnimitatis consistet. Si autem nihil commune in his inveniri possit duas non unam speciem magnanimitatis esse iudicandum erit ¹²⁵).

Pariter Toletus duplicem viam ponit, aliter tamen ac s. Thomas textum interpretando. Iuxta Toletum definitio aut est speciei specialissimae aut alicuius generis subalterni. Aristoteles a methodo definiendae speciei incipit, quae in hoc consistit, ut circa speciem definiendam tot praedicata essentialia sub illo genere sumantur, quousque omnia simul sumpta soli illi speciei insint, licet singula separata speciem excedant ¹²⁶).

Alteram Philosophus methodum pro genere subalterno ponit. Genere nempe proposito primum eius divisio in suas ultimas species fiat; secundo singula definiantur et id quod in eis inventum sit commune sumatur: haec enim erit differentia illius. Denique praedicamentum generis inquiratur ¹²⁷).

Tam s. Thomas ¹²⁸) quam Toletus ¹²⁹) contendunt Aristotelem viae divisivae vim syllogizandi denegare. Si de via compositiva agatur, cum Aristoteles in ipso textu nihil de eius valore dicat, etiam commentatores de hac quaestione silent. Attamen s. Thomas implicite etiam methodum compositivam vi ad definitionem demonstrandam carere innuit, cum divisioni prioritatem tribuat ¹³⁰).

3. De triplici definitionis methodo.

S. Maurus tres methodos seu ut vocat regulas ad venandam definitionem in An. post. recognoscit.

Prima regula. Sumi debent praedicata communiora re, sed intra idem genus, quoadusque licet singula convenient aliis, omnia simul sumpta solo definito adscribi possint ¹³¹).

Secunda regula. Cum agatur de aliquo genere subiecto scientiae, ut inveniamus definitiones eorum, quae sub tali genere

¹²⁵) Ad An. post. 97 b 15 ss.

¹²⁶) Ad An. post. B 13, 96 a 24 ss. (ed. c. 440).

¹²⁷) Ibid. p. 441.

¹²⁸) An. post. lib. 2, lect. 14 n. 4.

¹²⁹) Op. c. p. 442.

¹³⁰) An. post. lib. 2, lect. 14 n. 1.

¹³¹) Op. c., I, 373.

continentur, debemus illud genus dividere usque ad primas species seu specialissimas. Deinde oportet conari, ut definitiones talium specierum inveniamus, advertendo in quo genere sint et per proprietates specierum subalternarum, in quas dividitur supremum genus, investigando in quibus speciebus subalternis sint species specialissimae, quarum definitiones quaerimus ¹³²).

Tertia regula. Ad venandam definitionem communem alicuius quod dicitur de pluribus tum similibus quam dissimilibus, debemus considerare, in quo conveniunt similia et in quo dissimilia a primis, sed similia inter se conveniant. Deinde ex duabus diversis rationibus aliquam rationem utrique communem abstrahere oportet. Si enim talis ratio datur, haec erit definitio quaesita ¹³³).

S. Maurus igitur alio modo quam s. Thomas procedit. Doctor Angelicus nempe An. post. B 13, 96 a., 24 ss. tamquam elementa praeliminaria i. e. preparatoria ad primam regulam sc. per divisionem constituendam considerat; Maurus vero illa prout specialem regulam constituentia contemplet.

4. De solutione, quae quattuor methodos ponit.

M. D. Rolland-Gosselin interpretando Aristotelem quattuor methodos exponit.

Prima methodus in assumptione praedicatorum, quae sunt communiora re, sed intra idem genus consistit ¹³⁴).

Secunda methodus conceptum universalem adhuc confusum et indeterminatum pro intellectu, aliquod nempe totum, ut dicit Aristoteles, i. e. practice genus, respicit. Cum nempe de genere agatur primo illud in suas species ultimas dividere oportet; deinde categoriam generis quaerere ac denique differentias generi proprias per elementa definitionibus specierum communia determinare necesse est ¹³⁵).

Res exemplo Themistii explicatur. Volumus definire lineam. Primo eam in suas species, rectam, circularem, fractam dividi-

¹³²) Op. c., I, 374.

¹³³) Op. c., I, 377.

¹³⁴) Les méthodes de la définition d'après Aristote: RScPhTh VI (1912), 661 s. ad An. post. 96 a, 24--b 14.

¹³⁵) Ad 96 b, 15--25, p. 662.

mus, ac singulas definimus: recta est longitudo sine latitudine, cuius medium ab extremis non exiit, circularis est longitudo sine latitudine, cuius medio inest punctum, a quo omnes lineae ductae ad circumferentiam aequales sunt etc. Divisione ac definitione praecedenti facta illud quod est commune in definitionibus praedictis, longitudinem nempe sine latitudine sumi ac per proprietates quantitatis lineam esse quantam ac continuam iudicare licet. His habitis sequentem lineae definitionem proferimus: linea est quantitas continua, longa, sine latitudine.

Tertia methodus ut auxiliatrix secundae adiicitur et a methodo divisionis Platonica non differt¹³⁶⁾. Hanc methodum Aristoteles iam in An. post.¹³⁷⁾ et in praecedenti capite An. post.¹³⁸⁾ comparando illam cum demonstratione tractat.

Ultima denique methodus est pure inductiva et praesertim ad discernendum, utrum aliqua res unicam definitionem suscipere possit, destinatur¹³⁹⁾.

Roland-Gosselin omnes istas methodos crisi subiicit affirmando nullam ex his satisfacere. Etenim perfectissima inter illas, quae est tertia nequit ostendere, quibus mediis nos possimus attributa essentialia definiti recognoscere ac quaenam differentiae immediate genus dividant. Quarta autem methodus, quae sola propter suam ad experientiam recursum, defectus tertiae delere videtur, non nisi aequivocationem termini explicat¹⁴⁰⁾.

Conclusio. Si An. post. doctrina sine recursum ad Top. investigatur tamquam certum proponi potest Aristotelem nullam methodum demonstrativam, qua definitio efformari possit, tradere. Philosophus enim tantum de praedicatis, quae in definitionem intrans, dividendis et componendis agit, quae elementorum venatio utilis quidem est minime tamen sufficiens ad definitionem demonstrandam. Haec conclusio non solum 13 capite An. post. B, sed etiam Aristotelis disputatione circa indemonstrabi-

¹³⁶⁾ Ad 96 b, 25—96 b 7, p. 663.

¹³⁷⁾ Ad 46 a 33.

¹³⁸⁾ Ad 91 b 12, p. 663.

¹³⁹⁾ Ad 97 b 7 ss., p. 665.

¹⁴⁰⁾ P. 669 ss. „L'examen critique des quatre méthodes nous oblige ainsi à constater qu'aucune d'elles ne répond aux exigences formulées par Aristote lui-même. Elles y tendent ils est vrai, mais aucune n'y atteint pleinement..." p. 669.

litem definitionis manifesto probatur. Definitio quaedam unitas est, proinde simplici essentialium praedicatorum compositione construi nequit¹⁴¹⁾. Ad demonstrandum quid sit res non sufficit manifestare quod res sit haec vel illud, sed ulterius ostendendum est omnia praedicata esse unum et unam quandam naturam efformari. Ad demonstrandum v. g. quid sit homo, non solum ostendum est haec omnia animal pedestre et bipes separatim de homine praedicari sed ex his unum aliquod constitui, quod sit hominis definitio. Minime autem necesse est, ut quae de aliquo vere praedicantur divisim de eodem etiam simul sumpta, ita ut ex eis unum aliquod fiat, enuntiat. Etenim ex elementis congregatis ad definitionem efformandam non fit unum nisi per accidens, ut si dicatur hominem esse grammaticum et musicum¹⁴²⁾.

Aristoteles iudicium proferendo de valore methodorum tantum de divisione contendit eam minime habere vim syllogizandi. Attamen eandem sententiam etiam viae quae per similia et dissimilia procedit adiudicare licet. Etenim ratio praecipua Aristotelis pro indemonstrabilitate definitionis in hoc consistit quod nulla operatione ratiocinativa hoc totum quod est „quod quid erat esse“ vel „quod quid est“, in definitione repraesentatum, efformari potest. In principio enim definitionis quaedam ut non probata assumuntur, deinde haec non probata unam rationem construi nequeunt¹⁴³⁾ nisi facultas succurat, quae uno intuitu essentiam definiti appraehendat. Argumentum autem istud non solum divisioni sed etiam quibuscumque aliis methodis, quae discursu utuntur, applicari potest.

Sub hoc respectu numerus methodorum definitionis ut quid indeterminatum haberi debet. In An. pos. tamen Aristotelem tantum de via ascensiva et divisiva agere videtur. Id praesertim ex exemplis principalioribus de numero ternario et magnanimitate patet, in quorum primo divisio, in altero autem via ascensiva continetur.

Quaestio tamen magis perplexa fit, si Top. doctrina introducatur, ubi quaestio de methodis cum quaestione de inde-

¹⁴¹⁾ An. post. B 8, 93 a 14 ss.

¹⁴²⁾ An. post. B 6, 92 a 26 ss.

¹⁴³⁾ An. post. B 13, 96 b 25 ss.

monstrabilitate definitionis intime coniungitur¹⁴⁴). Dum in An. post. Aristoteles sine ullo dubio asserit definitionem syllogismo nullo modo demonstrari, in Top. ex diametro oppositam doctrinam explanare videtur.

Philosophus nempe in Top. H expresse contendit definitionem et essentiam rei syllogismo concludi¹⁴⁵). Definitio enim est oratio explicans quid res sit; igitur praedicata ostendit, quae in quid enuntiantur. Sola autem genera et differentiae in „quod quid est“ de re praedicantur. Oratio ergo explicans genus et differentiam rei necessario definitio illius rei haberi debet. Igitur sicut syllogismo ostenditur quod aliqua oratio genus et differentiam alicuius rei contineat, sic potest demonstrari, quod aliqua oratio sit definitio¹⁴⁶).

Aristoteles igitur imperfecto adhuc syllogistico conceptu ductus revera affirmat definitionem quadam argumentatione demonstrativa ostendi. At animadvertendum est iam hic Philosophum doctrinam An. post. prae mente habere. Etenim ante assertum suum contendit neminem aut paucos definitionem syllogismo demonstrari, sed eam omnes pro principio sumere, ut patet ex praxi eorum, qui circa geometriam et arithmetica occupantur. Et immediate Philosophus addit investigationem de natura et methodis definitionis ad aliam scientificam disquisitionem pertinere.

III.

De noetica definitionis natura.

Agitata est quaestio inter Aristotelis commentatores utrum intellectus vel ratio iuxta Philosophum definitionem formet. Apud Aristotelem enim operatio intellectiva duplicis generis esse potest: vel simpliciter apprehensiva, in qua nullum iudicium profertur, vel discursiva, in qua verum vel falsum invenitur. Prima operatio ad intellectum, altera ad rationem pertinet¹⁴⁷). Quaeritur

¹⁴⁴) Cf. Roland-Gosselin, l. c., 244.

¹⁴⁵) Ad 3, 153 a 6 ss.

¹⁴⁶) Cf. S. Maurus, op. c., I, 531.

¹⁴⁷) De An. post. 4–6; cf. Trendelenburg, De An., 272 et 494; Metaph. E. 4, 1027 b 27; Eth. Nic. Z 11, 1036 b 3.

ergo an definitio alicuius rei simplici apprehensione seu prima mentis operatione aut secunda vel tertia obtineri possit. Aristoteles iam de indemonstrabilitate ac de methodis definitionis tractando problema illud tangit. Alibi tamen, ut ex sequenti disquisitione apparebit, directe cogitationem de hac quaestione suscipit.

1. De commentatorum sententiis.

Antiqui Aristotelis commentatores directe hanc quaestionem minime determinant. Indirecte tamen nempe in methodologia magna dissensio orta est, quae intime cum nominibus Eustratii et Zabarellae coniungitur.

A) *Eustratii sententia*. Eustratius interpretando An. post. quattuor methodos sciendi posuit: demonstrativam, quae ex syllogismo oritur, resolutivam seu inductivam et definitivam¹⁴⁸). Scopus methodi definitivae est essentiam rei declarare, demonstrativae autem accidentia, quae per se insunt subiecto patefacere¹⁴⁹). Methodus divisiva methodo definitivae materiam subministrat, materia enim ex qua definitio constituitur, genera nempe et differentiae, divisiva acquiritur¹⁵⁰). Scopus tandem methodi resolutivae est a particularibus ad universalialia progredi et ita methodo tam demonstrativae quam definitivae inservire¹⁵¹).

Eustratius affirmat methodum definitivam ac demonstrativam principem locum tenere, duas autem reliquas secundarias esse et illis duabus ministrantes. Inter omnes tamen methodos definitio praestantissima est, cum substantiam rei exponat. Methodus definitiva iuvat methodo demonstrativae, in quantum definitio demonstrationi medium terminum largitur. Attamen methodus definitiva minime ministra demonstrativae vocatur, quia in substantia declaranda a demonstratione non pendet et proinde sibi sufficiens est. Post substantiae autem declarationem definitio methodo demonstrativae prodest; id tamen potius est imperare quam inservire. At divisio et resolutio, si earum ad de-

¹⁴⁸) An. post., 4, 34 (Hayduck).

¹⁴⁹) An. post. 5, 5.

¹⁵⁰) Ibid. 5, 8.

¹⁵¹) Ibid. 5, 10.

finitionem utilitas removeatur, omnino inutiles reddantur, totum enim eorum officium in ministerio consistit.

Definitio igitur secundum Eustratium non solum methodus est sed etiam principem locum inter methodos tenet¹⁵²).

Hanc theoriam vehementi crisi Zabarella subiicit: in crisi illa nixus argumentis aristotelicis dianoeticam definitionis naturam omnino reprobatur.

B) De Zabarellae contra Eustratium argumentis. Cum logicum instrumentum — secundum Zabarellam — sit progressus et discursus ab hoc ad illud tamquam a noto ad ignotum, definitio nullo modo methodus vocari potest, prout simplex est ac individuum quod omni discursu caret¹⁵³). Manifestum enim est nullum esse in definitione processum illativum a parte ad partem sed totam definitionem continua locutione pronuntiari. Quamvis enim in definitione multae sint partes non ut plures sed ut unum proferuntur. Ideo naturae definitionis dictio coniunctiva repugnat: dictio enim illa multitudinem prae se fert. Non autem coniungimus nisi ea quae ut plura ponuntur.

Proinde illatio in partibus definitionis nulla esse potest. Etenim sicut idem cum seipso non coniungitur, ita neque ex seipso infertur. Partes autem definitionis etsi plures sint non ponuntur ut plures sed ut ad unam naturae constitutionem conveniunt, quatenus alia pars potentiam dicit et determinatur, alia vero significat actum ac determinat¹⁵⁴). Praeterea genus in definitione differentiae semper anteponitur. Igitur si processus aliquis illativus a parte praecedente ad subsequentem fieret, a genere ut noto ad differentiam ut ignotam esset. At huiusmodi illatio est omnino inefficax, cum non liceat ex genere differentiam deducere. Nullo modo v. g. fas est dicere: Datur animal ergo et rationale. Quare numquam ex parte praecedente partem sequentem in definitione inferre licet, cum pars praecedens sit semper universalior sequente¹⁵⁵).

¹⁵²) Ibid. 5, 19.

¹⁵³) De method. lib. 3, cap. 12 (ed. c. p. 247). Zabarella hac expressione „dianoetica“ utitur. Cf. An. post. lib. 2, context. 107 (ed. c. p. 1280): „Sub doctrina discursiva cognitio principiorum non comprehenditur, quia non est d i a n o e t i c a“.

¹⁵⁴) De method. l. c. p. 247 s.

¹⁵⁵) Ibid. p. 248.

Pariter nullo syllogismo possumus ostendere hoc illi convenire in eo quod quid est seu esse illius definitionem nisi illud idem quod ostendere volumus, petatur. Etenim ex eo quod hoc illi inest, possumus quidem colligere aliquid alicui inesse, at non possumus manifestare quod insit in quid, nisi in propositionibus medium minoris in quid inesse assumatur; hoc autem est eiusdem rei definitionem, cuius quaerimus definitionem, ut notam praesupponere et sic petitio principii¹⁵⁶).

Postquam igitur cognovimus haec de illa re praedicari nullo syllogismo, proinde nulla methodo probare possumus, quod praedicantur in quid et quod ex iis definitio illius rei constituitur. Remanet ergo ut hoc per seipsum nobis considerantibus innotescat. Illa explicatio ut dubia minime haberi potest. Idem enim evenire etiam in sensu manifestum est. Aliqua enim primo aspectu non videntur, quae postea intuemur dum magis oculorum aciem intendimus. Pruna v. g. cineribus abscondita non videntur, postea vero motione ac aliqua cinerum tractatione inspiciuntur et per seipsa visum movent¹⁵⁷).

Simile quoddam menti nostrae contingere manifestum est. Aliqua enim prima mentis inspectione non apprehenduntur, postea vero diligenti ipsorum consideratione nota fiunt. Non per aliud igitur sed per seipsa cognoscimus quod essentialia principia in eo quod quid est de re praedicantur; res nempe ipsa per se in lucem prodit dum in ea oculos mentis efficaciter infigimus¹⁵⁸).

Definitio iuxta Zabarellam est quidem instrumentum non tamen notificandi quidditatem ignotam sed solum significandi. Etenim non per discursum a noto ad ignotum definitio notam facit quidditatem rei, sed quia iam eodem modo quo nomen significat rem per conceptum declarat. Consequenter definitio ad primam operationem, quae simplex apprehensio dicitur, pertinere debet¹⁵⁹).

¹⁵⁶) De method. lib. 3, cap. 14 (ed. c. p. 254 s.).

¹⁵⁷) Ibid. p. 255.

¹⁵⁸) Ibid. p. 255: „Aliqui vero, qui dicunt, aliqua dari instrumenta logica ad primam non ad tertiam mentis operationem pertinentia, et eiusmodi esse ipsam definitionem, quid sit instrumentum logicum, penitus ignorare videntur...“

¹⁵⁹) De method. lib. 3, cap. 14 (ed. c. p. 251).

C) De modernorum solutionibus. Inter modernos H. Maier affirmat definitionem ad intellectum habitudinem dicere. Attamen in quantum definitiones ut iudicia definitoria sese repraesentant obiectum intellectus in sphaeram discursivae cognitionis intrat¹⁶⁰).

Similiter Calogero contendit definitionem noeticitatem logico-metaphysicam habere. Ad intellectum enim iuxta Aristotelem cognitio „terminorum“ refertur. Ceterum ipsa notio definitionis prout ab Aristotele describitur, in quantum nempe contentum determinatum cognitionis significat, non potest esse nisi noetica¹⁶¹).

Calogero tamen conatur ostendere Aristotelem esse inconsequentem cum noetica definitionis natura posita etiam dianoeticitatem definitionis introducat. Definitio enim, ut ex genere et differentia constans, iam dianoeticum characterem manifestat. Pariter problema substantiarum compositarum ad admittendam dianoeticitatem definitionis Aristoteli necessitatem iniungit¹⁶²).

Quid putandum sit in hac opinionum discrepantia ex textibus apparebit.

2. De Aristotelis textibus.

A) An. post. A 2, 72 a 14 ss. a) Expositio textus Aristoteles divisionem principii demonstrativi facit. Immediatum principium syllogismi unum est „positio“ (θέσις), quam non contingit demonstrare, nec est necesse praehabere docendum „id est mente concipere sive ei assentire“¹⁶³). Aliud vero est axioma (ἀξίωμα) seu dignitas, maxima propositio vel communis animae conceptio, quam necesse est habere in mente illum, qui doceri debet¹⁶⁴).

Aliud membrum huius divisionis i. e. positionem iterum dividit Aristoteles „dicens quod quaedam positio est, quae

¹⁶⁰) Op. c., II, 1, 427.

¹⁶¹) I fondamenti della logica aristotelica, Firenze 1927, 130, 129.

¹⁶²) Op. c., 77, 130.

¹⁶³) S. Thomas, An. post. lib. 1, lect. 5 n. 6 ad An. post. A 2, 72 a 14.

¹⁶⁴) An. post. A 2, 72 a 16.

accipit aliquam partem enuntiationis, sc. affirmationem vel negationem“ et haec positio „suppositio“ (ὁπρόθεσις) vocatur. Alia autem positio illa nominatur, quae non significat esse vel non esse et haec definitio est, quae positio dicitur¹⁶⁵). Arithmeticus enim ponit definitionem unitatis tamquam aliquod principium, quod nempe unitas est indivisibilis secundum quantitatem¹⁶⁶).

Definitio non est suppositio, illud enim proprie supponitur, quod verum vel falsum significat. Propterea adiungit Philosophus non esse idem „quid sit“ unitas, quod neque verum neque falsum continet, et „esse“ unitatem¹⁶⁷).

Aliqua thesis igitur iuxta Aristotelem existit, quae neque affirmationem neque negationem dicit; definitio autem est huiusmodi thesis. Merito igitur ex textu praedicto deduci possumus definitionem secundum Philosophum ad simplicem apprehensionem habitudinem dicere.

b) Dubium circa textum. Quaestio est cur Aristoteles in textu allato definitionem vocat positionem cum positio sit principium et principium propositio; at definitio ut clare ex textu eruitur non est propositio significans esse vel non esse¹⁶⁸).

Dubium istud iam THEMISTIUS proposuit¹⁶⁹) sed aliis ad disputandum reliquit „forsan quia existimavit Aristotelem in hoc dormitasse“¹⁷⁰).

Iuxta PHILOPONUM sumendam esse definitionem applicatam definito, quod in propositione fit: ac ob id definitio propositio dicitur. Quia tamen Aristoteles dixit definitionem non significare esse aut non esse explicat Philoponus talem propositionem non praedicare aliud esse praedicati de subiecto sed idem omnino; proinde recte dicitur non significare esse vel non esse¹⁷¹).

Iuxta Philoponum ergo definitiones sumptae in propositionibus, nempe definitiones enuntiatae, ut homo est animal ratio-

¹⁶⁵) An. post. A 2, 72 a 16.

¹⁶⁶) Ibid. 72 a 21.

¹⁶⁷) Ibid. 72 a 23.

¹⁶⁸) Cf. Toletus, op. c. 303.

¹⁶⁹) An. post. 7, 16 s. (ed. Wallies).

¹⁷⁰) Toletus, op. c. 303.

¹⁷¹) An. post. 35, 4 ss.

nale, triangulum est figura tribus lineis terminata, suppositiones esse possunt¹⁷²).

AVERROES similiter ac Philoponus admittit definitionem sumendam esse cum definito, quod in propositione fit, sed in super affirmat hanc propositionem non significare esse aut non esse, i. e. exsistere, quia revera istae definitiones, quae positiones dicuntur, sunt nominis definitiones. Definitiones vero nominum, etiamsi cum definito propositionem faciant, non ponunt rem esse vel non esse sed significationem tantum manifestant¹⁷³).

S. ALBERTUS dubio respondet docendo non omnem positionem esse propositionem, minime tamen solvit problema ipsius textus Aristotelis, qui positionem principium esse dixit, principium vero per propositionem definivit¹⁷⁴).

S. THOMAS denique optime notat in subdivisione non reasumi Aristotelem immediatam propositionem ad subdividendum sed immediatum principium. „Principium autem syllogismi dici potest non solum propositio sed etiam definitio vel potest dici quod licet definitio in se non sit propositio in actu est tamen in virtute propositio quia cognita definitione apparet definitionem de subiecto praedicari“¹⁷⁵).

Revera definitio de qua hic Aristoteles loquitur est primum scientiae principium, ex quo ipsius subiecti accidentia demonstrantur. Propterea eadem definitio potest respici prout duobus muneribus fungitur, quatenus nempe respicit et subiectum cuius est et accidentia ad quorum postea demonstrationem assumitur.

Etenim quando in principio scientiae ante omnem demonstrationem definitio subiecti proponitur, tunc praedicta definitio priore munere fungitur i. e. significandi quid sit subiectum, nec est propositio; licet enim simul cum hac definitione etiam ipsum definitum proferatur ut cum dicimus „homo est animal rationale“ ita ut videatur proferri in modum enuntiationis, nihilominus non est actu enuntiatio, dum munus illius et proferentis

¹⁷²) Cf. Toletus, op. c., 340.

¹⁷³) An. post. lib. 1, cap. 2 (ed. c. p. 133); cf. Toletus, op. c. 303.

¹⁷⁴) An. post. lib. 1, tract. 3, cap. 2 (ed. c. p. 557).

¹⁷⁵) An. post. lib. 1, lect. 5 n. 9.

consilium respicimus¹⁷⁶). Is enim qui definit non vult dicere, an homo sit nec ne, sed solum quid sit.

Manifestum tamen est dari in hoc sensu enuntiationem in potentia, quatenus eadem definitio sumenda est postea ut minor propositio in demonstratione accidentium illius subiecti, quod est secundum munus exercere. Illud secundum munus dum definitio actu exercet actualiter fit propositio. Dum enim in hoc ultimo definitionis momento, in quo definitio in propositionem transit, dicimus hominem esse animal rationale, non est amplius consilium nostrum dicere quid sit homo, sed sumere aliquid in homine existens, quod sit causa inhaerentiae proprietatum. Definitio ergo hominis, quae antea fuit in potentia propositio, nunc deserit suam propriam naturam et actu propositio in demonstratione efficitur.

Non obstante igitur dubio noetica definitionis natura ex textu allato clare eruitur.

B) An. post. A 10, 76 b 35 ss. Similis doctrina, qua analysis textus praecedentis confirmatur, in An. post. A 10 invenitur.

Omnis suppositio iuxta Philosophum¹⁷⁷) dicit aliquid esse aut non esse.

Definitiones autem id non dicunt. Proinde definitiones non sunt propositiones. Attamen definitiones in propositionibus assumptae suppositiones (ὑποθέσεις) vocari possunt. Definitiones vero per se sumptae solum intelligere oportet. Intelligere autem non est supponere, sicut nec audire. Illa enim supponuntur ex quibus existentibus fit conclusio in eo quod illa sunt i. e. propter praemissa¹⁷⁸). Praeterea omnis suppositio aut totum aut pars sese habet: est nempe aut propositio universalis aut particularis. Sed definitiones neutrum horum esse possunt, quia neque universaliter neque particulariter praedicantur¹⁷⁹).

Manifestum est igitur secundum mentem Aristotelis definitionem non esse propositionem affirmantem vel negantem sed

¹⁷⁶) Cf. Zabarella, An. post. lib. 1, context. 14 (ed. c. p. 672 ss).

¹⁷⁷) Aristoteles ampliolem hic principiorum divisionem quam in cap. secundo praebet. Cf. Mansel H. L., *Artis logicae rudimenta*, Oxford 1856. 180; Owen F. I., *Aristotle Organon*, London 1885, 81 et 250.

¹⁷⁸) An. post. A 10, 76 b 36.

¹⁷⁹) Ad 77 a 3 ss.

ad intellectum pertinere, cuius operatio intelligere optime operationi visus adsimilatur¹⁸⁰⁾.

Eadem doctrina in ultimo An. post. capite exponitur, ubi Aristoteles de cognitione principiorum indemonstrabilium disserit.

C) An. post. B 19, 99 b ss. Secundum doctrinam Philosophi nos non possumus aliquid scire demonstrative, nisi antea principia immediata praecognoscantur¹⁸¹⁾. Quomodo autem principia scientiarum, inter qua et definitio ponitur¹⁸²⁾, praecognosci possint. Aristoteles quaestionem hanc in fine An. post. movet, postquam de his quae ad demonstrationem pertinent disseruerit.

a) De principiorum origine. Principia immediata non possunt esse nobis innata. In casu enim contrario haberemus cognitionem demonstratione potiore quamquam hoc ipsi nesciremus. Si vero scientiae principia non natura in anima nostra inhaerent aliud inconueniens exurgit. Nam cum cognitio acquisita fiat ex praeexistenti cognitione, oporteret ante illos habitus alias priores cognitiones et habitus ponere¹⁸³⁾.

Ex hoc apparet principiorum scientiam neque natura nobis datam esse neque ullo modo comparari posse nisi anima nostra facultate quadam qua principia cognoscat praedita sit. Reipsa quandam facultatem habemus qua principia comparari possunt, quamquam haec facultas non est huiusmodi, ut cognitio quae ex ea fluit praestantior sit ea quam per demonstrationem acquirimus¹⁸⁴⁾.

Communiter enim et omnibus animalibus naturaliter est insita quaedam facultas discernendi sensibilia, quae sensus vo-

¹⁸⁰⁾ Ita communiter veteres scholastici. Cf. Toletus, op. c., 430: „Termini vero et definitiones solum intelliguntur, cum in simplici intellectus operatione sint, in qua non est propositio, sicut nec videre, vel audire sunt propositiones, quia simplices cognitiones sunt“. Samuelis de Lublino, In universam Aristotelis logicam quaestiones scholasticae, Coloniae Agrippinae 1820, 745: „Cognoscere definiendo est cognoscere sine discursu, cognoscere demonstrando est demonstrative discurrere“. Pazmany, op. c., 503: „Ex quibus constat, definitionem esse solam orationem distincte significantem rei quidditatem, et non operationem in qua quidditas praedicatur de re cuius est quidditas; unde cum definitio praedicatur de definito est quidem definitio necessaria, non tamen est haec tota oratio definitiva“.

¹⁸¹⁾ An. post. B 1, 71 a 1. Cf. B 19, 99 b 20.

¹⁸²⁾ An. post. B 3, 90 b 24; A 3, 72 b 24; Top. A 1, 100 a 27; Soph. El., 2, 165 b 1.

¹⁸³⁾ An. post. B 19, 99 b 26 ss.

¹⁸⁴⁾ An. post. b 19, 99 b 32 ss. Cf. Waitz, II, 429 ss.

catur. Differunt autem animalia perfecta ab imperfectis in quantum haec ultima impressiones sensibilibus minime conservant. Animalia nempe in quibus impressio sensibilibus non remanet, alia sensibilia nisi ut sentiunt dum praesentia cognoscere possunt. At animalia in quibus inest remansio impressionis sensationum, adhuc habent quamdam cognitionem praeter sensum, quae cognitio memoria vocatur¹⁸⁵).

Iterum inter haec animalia, in quibus propter conservationem formarum datur memoria, illa differentia intercedit, quod in quibusdam ex multis memoriis ratio oritur, in aliis vero id non accidit. In quibusdam enim ex sensibilibus et ex memoria multoties repetita circa eandem rem fit experientia, ex experientia denique et ex toto universali collecto et facto uno principium artis et scientiae¹⁸⁶).

Fracta acie et fugientibus militibus aliquando revocatur agmen et rursus fit principium pugnae. Contingit enim ut unus ex fugientibus consistit paratus ad pugnandum, deinde alius stat atque adiungitur primo et sic deinceps, donec agmen fiat, quod est principium pugnandi. Aliquid simile accidit in anima, cum ex multis singularibus conservatis in memoria vi intellectus universale formatur¹⁸⁷).

b) De principiorum habitu. Soluta quaestione de principiorum origine quaerit Aristoteles, utrum primorum principiorum sit scientia vel aliquis alius habitus. Secundum Philosophum aliqui habitus sunt, qui semper verum dicunt, aliqui qui semper sunt erronei, alii denique qui tum verum tum falsum recipiunt. Sed quia principia sunt maxime vera, manifestum est quod non pertinent ad habitus, qui semper sunt falsi neque etiam ad habitus, qui aliquando recipiunt falsitatem. Solum ad habitus, qui semper sunt veri i. e. vel ad scientiam vel ad intellectum pertinent¹⁸⁸).

Nequit autem esse scientia ipsorum principiorum, quia omnis scientia fit ex aliquo ratiocinio. Cum igitur nihil possit esse verius quam scientia et intellectus consequens est quod principiorum sit proprie intellectus¹⁸⁹).

¹⁸⁵) An. post. 99 b 36 ss.

¹⁸⁶) An. post. B 19, 100 a 1 ss.

¹⁸⁷) An. post. 100 a 12 ss.

¹⁸⁸) An. post. 100 b 5 ss.

¹⁸⁹) An. post. 100 b 7 ss.

Ceterum demonstratio nequit esse demonstrationis principium alioquin in infinitum processus in demonstrationibus fieret. Cum igitur demonstratio scientiam causet sequitur quod neque scientia possit esse principium scientiae, ita nempe quod principia scientiae per scientiam cognoscantur. Si igitur nullum aliud genus cognitionis praeter scientiam habemus quod semper sit verum, relinquitur quod intellectus erit principium scientiae et principium principii: νοῦς ἄν εἴη ἐπιστήμης ἀρχή. Καὶ ἡ μὲν ἀρχὴ τῆς ἀρχῆς...¹⁹⁰).

Ita Aristoteles in ultimis An. post. versiculis difficilem quaestionem, quae est totius scientiae demonstrativae ac definitivae vinculum, resolvit. Alibi Philosophus An. post. doctrinam expresse confirmat ac breviter reasumit: ὁ μὲν γὰρ νοῦς τῶν ὄρων, ὧν οὐκ ἐστὶ λόγος¹⁹¹).

Ceterum haec doctrina conformis est generali doctrinae Aristotelicae iuxta quam in scientia paranda ex simplicibus ad composita procedendum est: aliter circulus vitiosus in scientia admitti debeat.

Praeterea fundamentum metaphysicum huius theoriae facile perspici potest. Actus enim ante potentiam et status quietis ante motum poni manifeste debet. Exinde definitio tamquam immobile aliquod principium censetur¹⁹²) quo innixa demonstratio mediante iam discursu accidentia rei ostendit.

Kraków

Alexander Usowicz C. M.

¹⁹⁰) An. post. 100 b 7 ss. Cf. Eth. Nic. Z 6, 1141 a 7; Z 12, 1143 b 10.

¹⁹¹) Eth. Nic. Z 9, 1142 a 26.

¹⁹²) Eth. Nic. Z 12, 1145 a 36 ss.